BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
E
55
NAPOLI

XLVII

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS ALOYSII MANEIRI
VERACRUCENSIS
DE VITIS
ALIQUOT
MEXICANORUM
ALIORUMQUE

Qui ſive virtute, ſive litteris Mexici
inprimis floruerunt.

PARS TERTIA.

IHS
EX BIBL. MAX. COL. NEAP. SOC. IESU

BONONIÆ

Ex Typographia Laelii a Vulpe 1792.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

FUit quidam mihi familiaris, et multis nominibus charissimus, qui benevole, ut omnia solet, monere me dignatus est, perperam fortasse a nonnullis intellectum iri, quod in prima hujus operis parte scripsi super ulnis, quibus Mexici amplitudo conflatur. Et profecto male audiet, tantae civitatis unumquodlibet latus ulnis duntaxat octingentis, et quadraginta constare; nisi meum hoc propositum vel corrigam, vel enucleem. Quare velim, sciant omnes, qui Mexicum ibi descriptam legerint; ulnam eo loci debere intelligi, qua Mexicani decempedatores utuntur. Quod si haec, ut audio, ad viginti majores palmos, sive dodrantes, extenditur; plane liquidum erit, vulgarem ulnam geometrice se habere ad Mexicanam illam, qua ratione sextus numerus ad vicesimum. Cum autem post pauca verba sermo mihi est de viarum urbis latitudine ad ulnas fere quindecim spatiosa, vulgares ulnas intelligo; quae nimirum adhibentur, quoties de parvis agitur dimensionibus: nam quemadmodum qui agros metitur, cubito non utitur; ita nec decem-

pedam, nec perticam, nec aliam quamvis majorem ulnam adhibet, qui spatium modicum dimetitur. Aeque certe rideres ad metientem agros palmis, quam ad metientem angusta quaevis decempeda. Haec dicta sint in hominum obsequium, quibus apprime cordi est Mexicanae amplitudinis gloria. Caetera quidem, ut veritatem sancte colere primum mihi est institutum; nihil admodum gravabor; a benevolo quoque appellatus, vel expendere ad perspicuitatis terminos, quae in meo scripto sint obscura; vel omnino errores, quos ab infirma mortalitate admiserim, recantare.

XAVE-

XAVERIUS RIVERUS.

TArascorum olim regnum, Mexicano finitimum, vastissima regio est, multis nominibus dives, amoenaque, ac fertilis ad prodigium. Hodie principem habet urbem Vallisoletum, inter amplissimas in Novohispanis quam Antonius Mendoza, ex Hispaniae Proceribus, primus Mexicanorum Praetor a fundamentis erexit; eidemque id nominis indidit, quoniam tum ab amplitudine, ac figura vallis, tum a corona montium, qui vallem claudunt, tum etiam ab intersecante, irriganteque vallem flumine, Vallisoletum in Vaccaeis repraesentari sibi videbatur. Sedes illa est Michoacanensium Pontificum, elegans aedificiis, vigens commerciis, multis ornata emblematis, antiquo plumariorum more vermiculatis; cujus artis postrema vestigia aetate nostra in Taraschis florebant. In hac urbe natus est nobilibus Parentibus Xaverius Riverus tertio Nonas Decembres, anno 1729. Non is certe fuit Riverus, qui vel docendi peritia, vel regendi prudentia, vel dicendi facundia excelleret; non etiam ex iis, qui praeclaris in rempublicam gestis magnum nomen posteritati relinquunt. Enimvero, tametsi vir iste sibi uni natus videretur; ut tamen varia virtutis genera sunt in domo Domini, ad Sanctimoniae portenta sine dubio

annumerandus est; ad eos nimirum, qui luto mortalitatis concretam massam nihil fere sapiunt; qui acceptam in sacro fonte innocentiam, multitudine virtutum exornant, et in sepulchrum illibatam inferunt; qui obscuro in silentio, et privata vita, Numinis amori vacant, et Divina quasi patientes, ab humanis omnibus abalienati conspiciuntur. Nec enim quia demissus Alexius in obscura veluti specu subter domesticam scalam delituit, nemini cognitus, nec ullo facinore in bonum animorum famosus; minus idcirco ab Ecclesia colitur, quam Antonii, et Xaverii, tot sudoribus de Christiana Republica benemeriti. Riverus in prima aetate infirmam pueritiae mentem nihil sapiebat: jam enim ab illis vitae primordiis quasi Divino privilegio ad Sanctimoniam maturatus, advertisse videbatur animum in praecelsam virtutum magnitudinem. Nihil sordidum, aut levitate dedecens, aut minus recte gestum in hoc puero deprehenderes; quin ab animo religionibus mirifice dedito, futuram ejusdem virtutum eminentiam facile omnes conjiciebant. Fuit inter aequales, tametsi jucundus omnibus, et praecipuus affabili demissione, semper tamen digito notatus; quoniam morum ejus dignitas nimium quantum abhorrebat a mendacio, et puerilibus oblectamentis, quibus ea solet aetas quamlibentissime tempus consumere. Ad elementarios adlectus, totos illico adhibuit conatus, ut ea, quae imperabatur, condisceret; ac mirabantur Magistri navitatem, qua totus erat in mente,

atque animo excolendo: illa enim pia monita; quae legi solent in libris pro puerorum institutione adhibitis, nihil exequi cunctabatur. Immissus a Parentibus Mexicum, in alumnorum Divi Ildephonsi Seminario dedit operam latinae linguae, ac philosophicis artibus, in iis quidem proficiens inter primos, potissimum vero scientia morum excellens, quam sibi metam ab litteris attingendam proposuisse videbatur. Modestam ejus gravitatem condiscipuli suspiciebant; et jucundi erat spectaculi, suppares adolescentes conspicere, qui, viso illo, statim ad verba, et opera Christiano viro digna deflecterent. Magistri vero, quibus omnia perpendentibus maturiori consilio, instar portenti erat, in aetatis lubricae periculis tanta innocentia, tanta morum dignitas, et vita maximopere castigata; singularem juveni benevolentiam tribuebant, ejusque ad virtutis eminentiam conatus omni ope prosequebantur. Et quidem Nicolaus Peza, vir a nobis alibi laudatus ab spectatissima probitate, (quo Doctore, philosophica studia Riverus attigit) sibi gratulabatur inprimis, quod talem habuisset auditorem, litteraria gloria inter praecipuos, et laudabiliori Sanctorum scientia certe in paucis numerandum.

Exacto cursu philosophico, ad Jesuitas adscribi cum postulasset, nihil distulit summus Provinciae Magistratus annuere petitioni; ejus vero Mater, cui maxima voluptas erat, quod charissimus filius obsequio Numinis in religioso claustro consecraretur; ante tamen quam mundo

nuntium ille daret, ipsum dies aliquot habere secum desideravit. Proinde nuntianti per litteras Rivero, se ad Socios adlectum, jamque prope in tirocinium contendere, nisi per eam staret; imperavit illa, ut sibi, et cognationi postremum vale dicturus, tantisper in patriam remearet. Hic juvenis maximopere agitari, atque inter vota confestim recedendi a mundanis illecebris, et debitam Matri obedientiam, incredibili cruciatu fluctuare: quod cnm alumnorum Rector intellexisset, ad se vocatum interrogavit, quidnam esset, quod vereretur, ejusmodi officium inprimis justum suavissimae Matri praestare? Cui pius adolescens: *Hoc*, ait, *iter in patriam formidini mihi est, ne forte refrigescant vota, et proposita, quibus ardeo, declinandi mundana pericula; et hinc ne saluti aeternae impedimentum apponam; quam meam salutem inde pendere existimo, si Deo vocanti obtemperem, et sanctum consilium nihil procrastinem*. Confirmavit Rector afflictum juvenem; jussit tamen, ut nihil omnino timeret, nec parumper differre propositum in Matris obsequium dubitaret. Obedivit illico, ut erat indole ad acquiescendum consiliis admodum facili; sed Matre salutata non modicis debiti amoris, venerationisque significationibus, tirocinium in patria videbatur inchoasse: nam quo toto tempore in ea duravit, nihil concessit humanitatis affectibus, nihil indulsit curiositati, nihil etiam consuetudini familiari cognatorum, aut amicorum. Antemeridiani temporis magnam partem in consueta

vul-

vultus modestia conspiciebatur ad sacras Aedes; a quibus recta contendebat in domum Sacerdotis, cujus eximiae sanctitatis opinio per urbem totam inoleverat, et qui majorem diei partem Divinis dabat lectionibus, precationibusque in domestico silentio. Tanti viri captavit Riverus consuetudinem, quam sibi salutarem minime dubitabat; et cum eo, quidquid otii supererat, sanctissime insumebat. Obtento demum a Matre commeatu, primam iniit religiosae vitae palaestram Idibus Martiis, anno 1749, aetatis ejus currente vigesimo. Nactus est primi sui temporis in sacra militia ducem Josephum Bellidum, tum Novitiorum Magistrum, quem alibi descripsimus virum solertem, et juventutis instituendae scientia laudatissimum. Et statim a primis diebus tiro visus est in summam perfectionis altitudinem devenisse: nam praeter motus animi sedatissimos, et mirifice demissam ad omnes affabilitatem, is erat in amore Numinis, ut omnino verbum ab ejus ore non excideret, quod latentis flammae non esset indicium. Deo plenus erat, Deum tota die cogitabat, Deum anhelabat; et sive in sacello, sive in triclinio esset, sive constituto tempore cum Sociis colloqueretur, sive solus per deambulacra iret, sive alio vocaretur ex domestica disciplina; totus in Divina intentus, pene ab sensibus abalienatus comparebat. Promptus quidem erat ad omnia tirocinii munia; sed urgente Divinae charitatis aestu; ita semper a corpore quasi abstractus videbatur, ut propemodum, quid ageret,

ipse

ipse non sentiret. Quare timeri coeptum est, ne vel a potestate mentis perpetuo abiret, vel bardus, et stupidus fieret, vel saltem ad Societatis munera futurus esset inutilis: et hinc, ut olim Divo Aloysio Divina flamma aestuanti, Rivero Bellidus imperavit, ut mentem a Deo averteret; ipsumque assidue immittebat in domesticum hortum, ubi delassatum caput ab altitudine cogitationis desisteret. Sed frustra jubent homines adversus Divina consilia! Ipse amoenioris coeli haustus, et pulchra soli viriditas, et florum odor, et varietas, Riverum vehementissime rapiebant in Factoris omnium cogitationem; et sublimius ad coelestia volabat animus, in ea requiescens jucunda solitudine. His cognitis, Provinciae Moderator fere decreverat ab Sociorum albo Riverum expungere, quem plane crediderat a capitis debilitate nihil futurum idoneum ad Societatis ministeria; et posse in paterna domo liberius quaerere solitudinem, et vitam coelestibus dignam, genio indulgens, instituere. Sed in tirocinium cum venisset, ac vocatum ad se Riverum pluribus tentasset; eximias ejus a natura dotes, amabilem consuetudinem, insignem animi demissionem, et maturum in omnibus judicium demiratus est. Collatis praeterea cum Bellido consiliis, hic aperte dixit: *Equidem auctor sum, neutiquam dimitti Riverum, qui, quanquam caetera foret ineptus ad obeunda munia, quae sunt Societatis, maneat tamen apud nos in perfectissimum sanctitatis exemplar*. Hac igitur sedata procella, ferven-

tis-

tissimus adolescens nihil cessans a Divinis amoribus, tirocinii biennium confecit, et trium votorum sacramento semet Numini hostiam, ingenti perfusus gaudio, immolavit.

A tirocinio stadium ingressus litterarum, nihil non tentavit, ut ea compararet doctrinae ornamenta, quibus posset olim ex Societatis more saluti animorum intendere. Nulla erat in humanis causa, quae Riverum impediret, quominus litteris daret horas ex domestica consuetudine destinatas; nec eo quidem tempore voluntarie volvebat animum ad coelestia, nisi fervidam aliquam, et brevem precationem raptim emitteret. Sed nimirum facilius a contagione corporis, quam a Numinis cogitatione avelli poterat, et saepius, reserato codice, cui studebat, inviti mens rapiebatur ad Divina, nec modico tempore, nihil humana intelligens, in eo statu perseverabat. Nihilo tamen secius, ut alias erat aperta mente, nunquam non meruit Magistrorum laudem, quoties consueta fecit doctrinae pericula; et suo tandem tempore solemnem quatuor votorum Professionem obtinuit. In Divorum Petri, et Pauli Collegio, ubi magnus erat Sociorum adolescentium numerus, qui Theologiae dabant operam: quadriennium vixit Riverus, quasi ad Thebaidis esset solitarios. Nihil ad illum tot juvenum ibi congregatorum strepitus, quibus erat aetas florida, et plerisque vividum ingenium; nihil etiam ea, quae domi, nedum quae in urbe contingerent. Ejus vocem nemo fere audiebat, nisi tempore colloquiis desti-

destinato; et tum insigni erat temperantia, et maximopere parcus lingua utebatur, quasi prius animo ponderaret verba singula, quam ipsis daret facultatem in alienas aures veniendi; nec libenter ad colloquia descendebat, quae rem Divinam non saperent. Ipsius autem oculos, profecto nescimus, an unquam quis conspexerit: nam assiduo usu nihil in humanis intuendi, semper humi fixos, et propemodum clausos habebat oculos, etiam in sermonibus familiaribus apud eos, quibuscum illi erat intima necessitudo. Sed quod mirum est maxime, nemo erat unus in tanta Sociorum juvenum multitudine, qui affirmaret, reum fuisse unquam Riverum in aliquam ex Societatis legibus, vel ex iis, quae non tanti momenti habebantur. A Numine ad litteras, a litteris ad Numen suavissima reciprocatione cum ferretur; nemini molestus, omnibus affabilis, uni sibi despectus, et timore Dei offendendi semper cruciatus, atque incredibiliter pavidus, diem totum sanctissime transigebat. Quae mirabilis vitae ratio magnam illi et venerationem universorum, et benevolentiam conciliavit: cum omnes in ipso intuerentur juvenem demississimum, affatim probum, et undequaque amabilem; nec praeterea censorem importunum, aut accusatorem timerent. Et qualem hoc loco Riverum describimus, talis duravit ad postremum usque spiritum, nihil prorsus moribus immutatis; nisi quod postremis temporibus ab ipsa virtutum diuturnitate facilior in semet dominabatur, et a mirabili constantia firmio-

mio-

miorem omnium venerationem sibi comparaverat. Biennium abrupit Theologiae curriculum, designatus elementorum grammaticae Magister ad Angelopolitanos; quo in munere magis videbatur intentus ad puerorum mores, quam ad mentes informandas; quanquam hac etiam parte non mediocriter industrius officio satisfecerit. Sacris initiandus ordinibus, nulla non adornavit religione, ac virtute purissimum animum ad praecelsam dignitatem: et quo die mire ad modestiam compositus, et fide plenus, primo libavit Divinam Hostiam; torrente coelestium voluptatum, quibus nullum est comparandum humanum gaudium, inundavit. A qua modesta gravitate, ac religiosissima fide cum nunquam defecisset in sacro quotidie celebrando, atque in Ara videretur quasi ereptus a sensibus; facilis est conjectura, pari etiam suavitate supra mortales delitias quotidie fuisse a coelo donatum.

Statim a Teologico cursu Angelopolim jubetur contendere, ut annum ageret, qui de more Sociorum Tertius Probationis appellabatur. Et hic Riverus quasi viri religiosi virtutes, et Societatis disciplinam nihil hactenus didicisset, totum se ad Novitiorum instituta composuit; et abunde nactus est otium, quo Divinas meditationes ad arbitrium produceret. Vocatus inde Mexicum, in Divi Gregorii Collegio designatur Operarius; cujus Collegii praecipuam institutionem alibi demonstravimus in bonum fuisse indigenarum, qui a priscis Mexicanis genus

trahebant; quorum propterea linguam, opus erat, Socios condiscere, qui ad labores in eo Collegio destinabantur. Aeque paratus ad munia quaelibet Riverus, nihil sane omisit, ut Minister idoneus efficeretur; nec recusabat hinc, atque hinc pro sacris confessionibus excipiendis vagari, tametsi naturam suam huic operae minime accommodatam intelligebat. Et videtur haec hominis obedientia coelo rata fuisse: quadam enim die jussus contendere in moribundi auxilium, ejus animi bono creditus est fere miraculo consuluisse. Non postularat Sacerdotis ministerium infirmus; qui sive delirus esset, ac prorsus emota mente, sive perperam desperaret aeternae suae saluti; anteactae vitae aperire scelera omnino negabat, et malle se, ajebat, ad stygias furias detrudi. Plures ante Riverum Sacerdotes, cum urgeret cognatos misericordia, in hoc proposito perseverantem convenerant; omnes tamen, re infecta, decesserant. Id, intranti domum, Rivero cum nuntiaretur, modicum aquae petiit, in quam Divi Ignatii numisma injecit, eamque implorato ejusdem Divi nomine, ac certis religionibus consecratam, aegroto potandam dedit; atque illico in verborum suavitate mentionem cum injiceret de conscientia expianda sacris confessionibus; nulla jam mora, qui obstinaverat animo non aperire crimina, ingenti dolore cuncta patefecit, atque ab eo tempore, mirantibus omnibus, alia omnia, quam antea, cogitavit. Sed tametsi Riverus nihil, quod in sua esset potestate, non effi-

efficeret, ut bono publico suam operam exhiberet; nunquam tamen deponere potuit quamdam animi parvitatem, in quam a conscientia scrupulis admodum perturbata devenerat. Et hinc si de re quavis illum consuleres; aut plane non audebat consilium suum patefacere, aut nunquam satis explicare doctrinam poterat, qua certe abundabat. Accedentes ad se in sacro subsellio diutissime retinebat, ac supra modum fatigabat; et ipse interea cum ab longissimo judicio exurgeret, quamplurimis aculeis pungebatur, et vehementissime cruciabatur, sine fine volvens animo, num satis interrogasset, quae reus ultro non exprompserat? num ex merito judicasset, culpam remittendam? num idoneam poenam injunxisset? num Sacramenti honori consuluisset? Quare censuit Provinciae Magistratus, removendum ab onere tanto Riverum, cui vires habebat, animo, et doctrinae impares; ipsumque in Mexicano puerorum Seminario, qui grammaticae studebant, Praefectum constituit. Munus adivit obedientissimus Riverus, ea plenus cogitatione: Reipublicae maximi interesse puerorum institutionem; et hanc ex mente Lojolae curam esse debere Sociorum potissimam. Et quidem quod ad navitatem attinet in studio pietatis promovendo, nullus erat Rivero accommodatior: nam et se se pueris praestabat vitae inculpatae perfectissimum exemplar; et Deiparae laudes assidue praedicabat, ejusque religiones verbo, et opere propagare nunquam cessabat; et suavissime cohortabatur,

at

ut bonos mores arriperent, ut saepius crimina expiarent, ut coelesti dape se reficerent; et libentius humana facilitate, ut ad filios, quam aut minis; aut supercilio, ut ad servos, utebatur; et quidquid exigeret, precanti erat, quam imperanti similior. Deerat illi tamen expedita quaedam loquendi, et agendi, et regendi facultas, et mundi rerum peritia, et sagax in officio prudentia, non ea, quae aulicorum, sed quae sapientis est, et quae tanti habetur ad informandos adolescentes; quorum non omnes ad claustri silentium vocabit Deus; et qui postmodum in mundano theatro inexperti comparebunt, et pluries labentur, quia non didicerunt olim offendicula declinare. Ac profecto Riverus ad omnia timidus, atque innumeris conscientiae perturbationibus cruciatus, alumnos edocere id non poterat, quod edocendos esse illos, quibus in media Reipublicae luce vivendum est, inculcabat his verbis Quintilianus: *Assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria, et velut umbratili vita pallescere.*

Igitur ab hoc etiam avocatus munere, in Collegii Divorum Petri, et Pauli suburbanum immittitur; ubi nullo gravis aliorum regimine, vitam agere posset aliquanto tranquillior. Et certe visus est in illo ab humanis omnibus recessu ferventius intendere Divinis meditationibus, et nullam non occupare diei partem in rebus, quae coelestia saperent. Domesticam Collegiorum disciplinam nihil ruri immutavit,

et consuetas religiones non modo constantissime retinuit, sed quoniam ab aliis curis erat feriatus, adaugendas existimavit. Raro videres illum domo exire, nisi ut modice deambularet valetudinis causa; tum autem ea per campos ibat oculorum modestia, et totius corporis dignitate, quasi ubique praesentem Jesum Eucharisticum adoraret: nam ubilibet ejus corpus ageret, ipsius animus a profunda Dei cogitatione non cessabat. Et hoc praesertim tempore fuit manifestum, Riverum esse virum oppido singularem; cui nullum penitus erat in humanis oblectamentum; quem ut ut curiose rimareris, nullam ejus propensionem agnosceres vel ad innocentes mortalium delitias. Utilem vero esse rusticanis hanc suam in suburbano commorationem, totis conatibus procuravit: eos enim, qui diurnam operam dabant praedii sudoribus, noctu consuevit in domestico Templo congregare; cum iis alternatim Marianos calculos numerabat; novendialibus precationibus ante aliquot solemnia, pluribusque aliis religionibus eosdem excoli, praeiens ipse exemplis, adnitebatur; elata ipse voce codicem aliquem de Divinis rebus apud illos legebat; nihil denique non movebât, ut vitam Christiano dignam, eamque perfectissimam, instituerent. Nec modici erant fructus a ferventissimi viri sermonibus, et exemplis, cui praestabant omnes eam venerationem, tanquam esset Angelus e coelo delapsus; et quem non alio, nisi Sancti, nomine assueverant appellare. Unde memoratum a nobis Bellidi effa-

tum confirmavit eventus: *Riverum, si non aliter, futurum certe utilem in Sociis ab insigni vitae sanctimonia.*

In his egerat fere lustrum, cum jubetur Mexicum festinare, in Sociorum omnium comitatu ad Italiam transducendus. Nuntium accepit nihil aut conterritus, aut minima significatione turbatus; nec enim humani eventus aut gestientem laetitiam, aut incompositum moerorem ab ejus animo extorquebant. In sacrarium e vestigio cum recessisset, ibique diu immotus Deum adorasset; egressus tandem est in consueta oris gravitate, ac praestituto tempore viae se commisit. Fuerat interea praedives quidam, qui motus misericordia, centum unciales argenteos proficiscenti repraesentavit; quos tamen Riverus, postquam benefico viro gratias egit amplissimas, nihil cunctatus est recusare, id aperte causatus: *Velle se ab sola Dei providentia pendere*. Ab immensae viae incommodis, atque inevitabili strepitu, incredibiles habuit aerumnas vir silentii cupidissimus, et qui longo jam tempore assueverat solitudinis tranquillitati. Sed privilegio altissimae sanctitatis, et conjunctionis cum Numine, accidit Rivero quamcommodum, ut nulli humani tumultus Divina meditantem interturbarent. In his meditationibus diem fere totum solus insumebat, perinde ac si navis esset remotissimum sacrarium, ubi nulla mortalium vox audiretur. Ab animi pace nunquam descivit, parcissime verbis usus est, nihil unquam petiit, nihil expostulavit, nemini

mini fuit molestus, omnibus affabilem se praestitit, et magnam sui tum apud Socios, tum apud externos admirationem excitavit. Et hoc eodem tenore castigatissimae vitae, tot milliariorum millibus terra, marique superatis, ditionem tandem Pontificiam attigit, et Ferrariam immissus est. Ibi quidem ab itineris diuturnis laboribus quievit; sed nihil omnino sui dissimilis, aut latebat in cubiculo, aut Numen in Sacris aedibus precabatur. Palatiorum magnificentia, viridariorum amoenitas, mirabiles arcium structurae, idque generis plurima, quae Italiam exornant, atque avidis peregre adeuntium oculis efficiunt pulcherrimam; peregrini Riveri curiositatem nec Ferrariae, nec alibi moverunt; cum sola aeternae patriae oblectamenta cogitaret; neque ad terrena ejusmodi vel oculos libenter verteret, ne punctum temporis ab suavioribus tolleret voluptatibus, quae sibi erant in colloquio cum Superis. Unum in humanis habere solatium videbatur, contubernium, et intimam necessitudinem cum germano fratre, Raimundo Rivero, cujus erat mira naturae suavitas, aperta mentis facilitas, et religiosissima morum dignitas. Ab hoc autem solatio avellere voluit Deus Xaverium Riverum; et quae fuerat una in mortalibus voluptas, patientissimo viro converti in amaram acerbitatem: Raimundus enim biennio natu minor, cum aeger aliquandiu decubuisset, nullo autem a Medicis praenuntiato periculo; quadam die repente exclamavit: *Xaveri, opitulare morienti*. Et certe

post modicum temporis animam efflavit. Non se deseruit Xaverius in tanta luctus causa, nec abiit in ejulatus, aliasve significationes doloris, quae vultum gravissimum conturbarent: nec profecto ab ejus ore novisses internam calamitatem, nec fortasse audiisses, fratrem e vivis ereptum; nisi, urgente charitate, saepius precaretur obvios, ut Dei misericordiae Raimundum commendarent. Caetera quidem in consueto Divinae meditationis perfugio requievit; et quali fuerat vultu in fratris contubernio, tali duravit in omnimoda solitudine. Sed perpetua non fuit ejus commoratio Ferrariae, cujus coelum illi erat minime salubre; proindeque Bononiam ab Superioribus appellatur, ubi extremos posuit vitae annos in maxima sanctitatis opinione.

Post Societatis eversionem, in communione vixit cognati cujusdam, qui vir gravissimus, atque apprime probus erat; senio tamen morosus, et natura totus alius ab Riveri mansuetudine. Qui cognatus cum morti jam proximus alterum optasset contubernalem; Riverus diversorium sibi quaesivit, quod re, ac voluntate pauperem, atque humana omnia contemnentem deceret. Ac sane invenit, quale desiderare poterat, qui habebat in charissimis parvifieri, et suos animi motus aliena intolerantia domare: commoratus enim est in domo cujusdam foeminae, quae cum esset eo imperiosior, quo Riverus demissior, mille modis exercuit peregrini patientiam. Objurgabat hominem, quod cubitum ire paululum cunctaretur, atque a coe-

na

na in cubiculo solus oleum consumeret. Ille vero mitissimis verbis respondebat: *A me autem tibi erit olei pretium, quod consumpsero*. Neque tamen haec mira suavitas, qua semper excipiebat sibi loquentem, evincere poterat, ut aliquando manus daret mulieris imperiosa morositas. Quot ab illa aerumnas habuerit Riverus, uni patuit supremo Cordium scrutatori, cui nulla est humanorum arcana cogitatio; sed ab ore patientissimi viri altissimum erat de rebus ejusmodi silentium. Plura intellexit ejusdem foeminae filia, testis domestica; quae cum Matrem recens defunctam postmodum defleret, nihil gravabatur asserere: *Octo duntaxat diebus Rivero superstitem illam fuisse, a qua tot patientiae argumenta demissisimo viro contigerant*. Vitae rationem, quam instituit ab extincta Societate, nunquam satis demirari potuimus: vivebat enim in urbe frequentissima, quasi homines nusquam essent; nec praeter domesticos agebat, nisi cum convenis; nec visitabat, nisi aut beneficos in animi grati signum, aut charitatis nomine infirmos; nec longius detinebatur, nisi in templis. Per vias urbis ambulabat, quasi per Lybiae deserta; et juxta illum transire poteras, quin te certe salutaret, nisi loquentem a voce cognosceret: ibat enim semper oculis humi defixis, vultu ad modestam affabilitatem composito, lento gradu, et corpore toto religiosam dignitatem respirans, et coelestium intentus cogitationi. Superest adhuc scriptum ejus autographum, in quo legitur hora-

rum distributio ultro sibi praefinita. Mane statim a lecto dabat horam Divinis commentationibus, et fervidis precationibus, quas terminabat Angelica salutatio quinquagies repetita: binas insequentes horas in sacris durabat aedibus, ubi et Missam ingenti pietate peragebat, et gratias Numini longiusculus referebat, et pluribus inde vacabat religionibus pro poenarum remissione sibi comparanda, et postremo solvebat eam pensi Sacerdotalis partem, cui tempus antemeridianum ex Ecclesiae consuetudine designatur: ab his horam implebant usus domestici, ac Divinae lectiones: alteram studium de scientia morum, aut de imperatis caerimoniis in Sacro peragendo: sesquialteram in templo iterum consumebat, ubi Sacris dum intererat uni ex alio, Marianos globulos, ut mane fecerat, numerabat, aliasque precationes, quibus delectabatur fere innumeris, exsolvebat: horae dimidium ante prandium in conscientiae arcana inquirebat, et quod reliquum esset, scripturae intendebat: binas horas frugi refectioni, et meridiationi concedebat: sesquihoram reliquo pensi Sacerdotalis: binas alteras adorationi Numinis Eucharistici, modicae deambulationi, charitati ad infirmos: ab his totam alteram coelestium meditationibus in templo, quod a mortalium strepitu remotum esset: domi denique fere duas alteras precationibus, in quibus tertio erat quinquagenaria Deiparae salutatio, Divinis iterum lectionibus, et novae inquisitioni in sua dicta, et facta, et cogitata. Quam temporis

ris distributionem, si horam exceperis ad Aram faciendi, quam aliquando immutare consuevit (fortasse jussus ab aedituo, ut commodius posset ad arbitrium fervorem protrahere) caetera quidem religiosissimus observavit. Et facile argumentaberis, nihil fuisse subcisivi temporis, quod in humanis consumeret; ac pene mortalem non videri, cujus ea erat constantissima intentio in coelestibus animo volvendis, nihil interrupta cum Superis consuetudine. Habuit postremis vitae annis contubernalem Michaelem Gadeam, probitatis eximiae Sacerdotem, quo et cognato, et virtutum similitudine sibi conjuncto, familiater utebatur; ut tamen olim charissimo germano, ita nunc familiari, et cognato Deus illum carere constituit: Gadea enim brevi correptus febri, Riverum in solitudine, ac luctu reliquit. Modico tamen haec tempore: nam Riverus ipse, tentatus jampridem valetudine, coepit in pejus ruere, sensim destitui viribus, cruciari doloribus, nec levia dare indicia proximi ad aeternitatem itineris. Non latebat benevolos Riveri cives, incommode illum tot annos diversatum fuisse; postremae vero infirmitatis tempore, si maneret eodem, incommodissime futurum valetudinis administris, nec ea facile posse ipsi praestari officia, quae solent morientibus. Quare collatis consiliis, transferri aegrotum in aliam domum decernunt; et mirabili charitate, pro qua gratias agere nunquam ille intermittebat, nihil reliqui faciunt, quo posset in eo morbi statu sublevari. Sed

paulo post ingravescente malo, munitur extremis religionibus; et qui vitam a puero exegerat in perpetuis conscientiae fluctuationibus, et magno salutis metu; plenus fiducia, et suavissima tranquillitate a mortalibus abit XIII. Kalendas Martias, anno 1787., cum aetatis ageret octavum supra quinquagesimum. Justa illi persoluta sunt in Divae Mariae Magdalenae Templo, quae Paroecia est in Bononiensibus; et plures aliquid postularunt ex vilissimis ab ipso relictis, tanquam pretiosum hominis Deo chari monumentum.

Inter plures, quibus enituit virtutibus Xaverius Riverus, non facile dixeris, quae primas tulerit. Quam innocentiam infans accepit in sacro fonte, puer, adolescens, vir, exornavit ingenti virtutum incremento; et communis erat omnium opinio, nunquam animum maculasse gravi crimine, nec etiam levi, quod omnino conscius admiserit; proindeque Sacramentalis expiationis materiem non satis inveniri, cum ille maxima significatione doloris errata sua in sacro subsellio deponeret. Religio pariter, et pietas, quae puerum effecere mirabilem, cum eo adolevere, ipsumque ad ultimam animam comitatae sunt. Nicolaus Peza, Magister ejus in philosophicis, cum, exacto curriculo, judicium publicum, ut mos erat, de auditorum profectu litterario diceret; Xaverium Riverum in haec luculentissima verba laudavit: *Nullum huic locum damus in auditoribus, ne videamur afficere injuria probatissimum juvenem, qui ab aperta*

mentis

mentis claritate potius fuit nobis Collega in Magisterio. Ipse tamen Riverus vilissime de se opinabatur; et hinc subrusticus ille timor, quoties opus ei fuit vel consueta in Sociis pericula subire, vel e suggestu dicere, vel etiam loqui apud eos, quibuscum non egerat longa consuetudine. Verba elationis tam procul ab ejus ore aberant, quam ab ejus animo judicium propriae excellentiae. Gratus animus, et beneficii memor, qui nobilium animarum individuus est comes, inter praecipuas erat Riveri virtutes. Quidquid officii vel levissimi praestares, in maximis beneficiis numerabat; nec ulla, quibus tibi rependeret, satis esse verba existimabat; nec ullo unquam tempore officium illud ab ejus memoria excidebat. Fato jam proximus, familiarem quemdam intermortuis vocibus, et pene nutibus precatus est, ut quibusdam loco remotis, qui benefici sibi fuerant, iterum, atque iterum suo nomine gratias referret. Plura diximus de insigni modestia, qua semper cautus oculos custodivit; subnectemus autem mirabile documentum, cujus vix simile de Divo Aloysio Gonzaga legimus: Riverus nimirum binas illas foeminas, quarum in domo tot annos diversatus est, nunquam vel raptim facie vidit; quod si eas extra domum primum aliquando aspexisset, sine dubio ignorasset, illas esse sibi domesticas, nisi a voce cognosceret. Tanta erat strenuitate in animo sepiendo, ne per aspectum intrarent periculosae imagines, quae virgineum ejus pudorem nunquam corruperunt! Hoc etiam nomi-

nomine debellavit corpus inedia voluntaria, et ferreis instrumentis, quibus fere semper maceratus pergebat. Debellavit pariter motus animi tanta fortitudine, ut propemodum carere his humanitatis comitibus videretur: et certe, num sciverit irasci, prorsus nemini experientia fuit notum. Inops rerum omnium, quidquid in humanis est, despiciebat; ac facile spoliabatur vestibus, vel maxime sibi necessariis, ut eas miseris largiretur. Obedientiae cultor eximius, in amoribus habuit, imperia Majorum exequi; nihil unquam dubitans, quidquid sibi ab illis juberetur, omnino rem esse rationi consentaneam. Nec id solummodo, cum Magistratus vocem audiret, quem demississima veneratione prosequebatur, et cujus auctoritatem ut a Numine venientem colebat; sed eodem erat obedientiae studio in eos, quos conscientiae arbitros ipse sibi elegerat. Proinde habebatur instar prodigii, quod tantis agitaretur animo ambagibus vir demississimus, cui vox imperantis erat oraculum; et qui nulla tergiversatione obediebat, quidquid vel facere, vel omittere juberetur. Interdum antequam ad aram faceret, Sacerdotem a confessionibus precabatur, ut se audiret timorum caligine horribiliter immersum; quod si praeciperet ille, non auditum pergere ad hostiam immolandam, continuo Riverus obtemperabat. Quadam die cum dubium fuisset ipsi obortum, quod praecipienti non penitus obediisset; in ejusdem cubiculum contendit, et genuflexus, largissimeque illacrimans, veniam ora-
bat

bat gravissimi, ut credebat ipse, criminis, quod in ejus imperium peccavisset. Aegre obtinuit Sacerdos ille, Riverum ab lacrimis temperare, atque immanem cruciatum deponere, quem in ejus animo timor peccati exsuscitarat. Pietatem in Deiparam, quam primo cum lacte hauserat, incredibiliter fovit toto vitae cursu assiduis commentationibus de meritorum ejusdem Virginis excellentia. Hanc Deiparae flammam in omnium animis excitare, semper habuit in charissimis, ubi ubi commoraretur: atque inde conatus ille celebrandi publice aliquot ejusdem solemnia, tum suis expensis, tum corrogata pecunia. Inter pileum sui usus, et subsutam telam, Mariae Virginis nomen, et Guadalupanam imaginem collocarat; ut in capite semper esset, quod nunquam a corde recedebat. Codicem scripsit accurata navitate de Immaculato Deiparae conceptu; qui tamen codex, ut nimium ille sibi diffidebat, ineditus remansit. Vir primi nominis a probitate, ac doctrina, testatus est apud nos: *Neminem unquam se vidisse, qui Mariano studio Riverum antecelleret*. Sane fuit Riverus vir multis nominibus insignis, et quem Deus per occultos animi cruciatus, et sibi semper constantem demissionem ad altissimam sanctimoniam deduxit.

XAVE-

XAVERIUS CLAVIGERUS.

AB antiqua Mexicanorum historia, decimo abhinc anno typis vulgata, viri hujus praeclari nomen satis notum est; cujus quidem elogium, quanquam oppido breve, sua jam lingua legunt Itali; nec dubitamus, quin aliquando sua legant Hispani. Nos autem in his latinis Mexicanorum imaginibus Mexicanum ingentis meriti praeterire non possumus. Vetustae nobilitatis est apud Legionenses in Hispanis familia Clavigerorum; a qua prodiit, ineunte saeculo decimo octavo, Blasius Clavigerus, qui gentilitium decus magnis animi virtutibus cumulavit. Nactus est educationis theatrum Lutetiam Parisiorum, quo tempore urbs illa, tot nominibus amplissima, sub Ludovico XIV, Gallorum auream aetatem numerabat. Et certe Blasius, cui pulcherrimae dotes a natura contigerant, ibi adolevit summis laudibus, atque eam exinde mentis culturam, et liberales artes, quae sunt nobilium epheborum, exhausit. Reducem in Hispanos, domi suae liberaliter excepit Dux Augustobrigae, vulgari nomine Medinae celi; cui Principi ex ditissimis, et nobilissimis Hispaniae proceribus, charus fuit admodum ab eximiis naturae dotibus, matura prudentia, et litteris Lutetiae comparatis. Ab hac autem opulentia transmi-

migravit Blasius in Novohispanos; ignoramus quidem, quo decoratus munere; sed certe in illustribus ab Rege, qualia generi ejus, et merito debebantur. Neque vero splendore munerum opus erat, ut juvenis elegantissimis moribus, atque ad virtutum excellentiam informatus, aestimationem, ac laudes universorum sibi conciliaret. Pari claritudine foeminam, et nobilium Virginum virtutibus praecipuam duxit in Matrimonium Mariam Elisabetham Echeagarajam, cujus erat in Vasconibus origo nobilis, unde gens ejus translata Mexicum, alios Regiis Praefecturis, alios militaribus terra, marique honoribus, alios equestrium ordinum insignibus conspicuos numerabat. Ab hoc matrimonio filii prodiere undecim; quos inter, quinto Idus Septembres, anno 1731, tertium foecunda Mater Veracruce Xaverium enixa est.

Hic Xaverius infantilibus adhuc fasciis tenebatur, cum jam peregrinatus est in Patris comitatu; qui fuerat ab Rege Hispano designatus Praefectus cum potestate primum in Tetzuitlanos, deinde in Xicajanos, quorum est fertilissima in Mistechis Provincia. Et ab his quidem aetatis ejus exordiis videmur palam videre, praecelsam Clavigeri animam a Divina Providentia destinatam fuisse ad arduos olim conatus, vetusta Mexicanorum perscrutandi, atque ex profundis latebris eruendi. Nec dubitamus, quin, haec si legerint, sannis excipiant, qui Deum, ut Tullius ajebat, sic feriatum volunt cessatione torpere, ut, si se commoverit,

vere-

vereantur, ne beatus esse non possit. Utinam qui haec facete irrident, audire voluissent Tullium eumdem dicentem: *Multos et nostra civitas, et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est*. Sed rideant sane, qui cuncta Deum ad arbitrium administrare inficiantur: nos quidem cum scribimus, ingenia ejusmodi cum Epicuro, aut Elvezio, aut Voltairio, aut ejus furfuris alio quopiam caecutientia, negligimus. Habuit igitur Clavigerus a puero vegetam indolem, perspicacissimam mentem, atque ad arcana quaevis investiganda mirificam propensionem. Habuit et Patrem liberaliter a natura dotibus instructum, politioribus litteris admodum cultum, atque in filiorum institutione accuratissime diligentem; qui certe Pater Xaverio fuit, quod Gracchis olim Cornelia, quos non tam in gremio fuisse, quam in sermone Matris educatos, ab Romano oratore perdidicimus. Habuit etiam animum ad nobilem ingenuitatem conformatum, ad magna factum, accepti beneficii semper memorem, natura misericordem, pronumque in eas gentes, quae a priscis ejus orbis Indigenis trahebant originem. Habuit praeterea tum puerulus opportunam occasionem cum eisdem indigenis intime agendi, eorumque mores, atque indolem cominus rimandi, et quidquid peculiare tellus illa parturit, sive plantae sint, sive animalia, sive metalla, curiosissime inquirendi. Et indigenae quidem, quos humanissime habebat Blasius Praefectus, ut rem gratam

huic

huic facerent, singulari amore filium prosequebantur, eique certatim officia praestabant; nec mons erat procerus, nec rupes obscura, nec vallis amoena, nec fons, nec fluvius, nec locus alius, qui curiositatem titillaret, quo puerulum obsequii gratia non deferrent; nec avis, aut quadrupes, aut flos, aut pomum, aut planta erat in raris habita, quam eidem non repraesentarent gratiosum donum, et cujus naturam, quoad poterant, interroganti puero non expanderent.

Haec sane omnia si pueris de grege ingeniorum acciderint, fortasse nihil proderunt; Clavigero autem, quem ad maxima in re litteraria destinaverat Deus, nec incassum contigerunt, nec modice contulerunt ad ejus mentem eruditis cognitionibus imbuendam, quae magis, magisque discendi aviditatem inflammarent, idoneumque ac rerum usu edoctum historicum informarent. Eruditi cujusdam verba meminimus, qui de ista Clavigeri educatione cum loqueretur, ad nos ajebat: *Ea plurium, ac diversi generis rerum fortuita concursio, quasi seminarium eruditionis est, quam ingenuis animabus, cum primum ratione utuntur, promiscue iniici Verulamius desiderabat: nam ab eo Seminario, cum suas vires ingenium explicabit, illas excolet artes, in quas a natura propendeat; et quo semina fuerint injecta citius, eo pulchriores fructus in maturitate nascentur*. Ab hac sane rerum concursione, quam nactus est Clavigerus tum ab regione, in qua pueritiam egit, tum ab indige-

na-

narum obsequiis, tum a cultissimi Patris navitate; conformatam putamus ejus mentem ad prolixam naturae investigationem, atque ad insatiabilem quamdam plura semper condiscendi aviditatem. Haec eadem concursio rerum injecit, fovit, nutrivit in ejus grato animo constantem benevolentiam erga indigenas illos; qua certe impulsus, operam suam, et calami elegantiam, quoad licuit, adhibuit, ut eorumdem fastos ab interitu vindicaret.

Ab occupationum aestu nonnihil temporis Pater ejus auferebat, ut ipse per se filios institueret in rebus Divinis, in civili cultura, caeterisque, quae generis dignitatem decere arbitrabatur. Atque ita Xaverius adhuc in elementariis primas hausit eruditiones a Patre de rebus historicis, de geographicis, deque hujus mundi fabrica, quem summus ejus conditor hominibus dedit investigandum; quibus mediocriter, ut pro tantulis annis, ornatus, Angelopolim missus est, ubi primum grammaticis litteris in Divi Hieronymi, deinde philosophicis in Divi Ignatii seminario dedit operam. Mentis aciem demonstravit clarissimam, in ea discenda philosophia, quae tum temporis edocebatur; et cujus inutilia plura Magister ipse postea conaturus erat eliminare, ut Aristotelis genuina philosophia substitueretur. Post adeptos honores, qui meriti excellentiae tribuebantur, in eodem seminario ad sacrorum studiorum auditores adlegitur. Qua quidem in scientia, ut vigor mentis in dies adolescebat, supra aetatis magnitu-

dinem

dinem visus est; vixque annum, et paucos menses Theologiam agitarat, cum theses, argumentorum copia, temporeque inusitatas, publice propugnavit: a quibus una fuit omnium admiratio, et opinio, magnum increscere in Clavigero litteris ornamentum.

Sed quanquam prima tum ejus cura fuit Theologia, subcisivis tamen operis in amoena studia sollicitus incumbebat. Mire delectabatur Hispanorum lectione, quos tum ingenio, tum doctrina, tum judicii prudentia, tum nativae linguae perfectione didicerat excelluisse: per id vero temporis potissimo studio legebat Quevedum, Cervantium, Feijovium, Angelopolitanum Parram, et Joannam Agnetem egregii nominis poetriam in Mexicanis. Generatim historicos, poetas, criticos, et scriptores fabularum, poemata, et historias imitantium, qui primi nominis erant inter Hispanos, jam ab ea aetate novit, atque assidue versavit. Quoties domum Patris contendebat, qui Regio decoratus munere, sedem tum fixerat Angelopoli, nuntias litteras ab Hispania venientes avidissime devorabat: quod siqua, dum legeret, externa reperiret vocabula, quid ea sibi vellent, illico Patrem interrogabat. Hinc autem ardentia vota concepit mentem suam exornandi linguarum eruditione; quibus postmodum votis abunde satisfecit. Nunquam in seminarium domo redibat, nisi amoenis aliquot libris onustus, quibus otium falleret, cum cessare dabatur a Theologicis. Ab eo pariter tempore flagrabat desiderio Mathesin at-

tingendi; nec unquam intuebatur ejus disciplinae instrumenta, quin ad eorum usum, et scientiam vehementer accenderetur. Toscam, et Tacquetum volvebat interdum; et quanquam asserere non audeamus; illos perfecte assecutum fuisse, quaerebat tamen ab aliis lumina, et amicitiam eorum aucupabatur, quos in re Mathematica versatos intelligebat. Quare in familiaribus habuit tum quemdam Regiae classis Magistrum, tum Sanctammariam, et Medinam, primi nominis architectos, qui tum Angelopoli florebant. Omnia perdiscendi cupidus, nihil indignum suo genere putabat, consuetudinem inire cum urbis opificibus, inter quos ingeniosissimi Angelopolitani nunquam non plures Daedalos numerarunt. Etiam a Matre, cujus erat notissima in rebus musicis elegantia, propensionem hanc in se derivavit: unde fidibus discere non contempsit; quod ejus aetati, et conditioni ornamentum erat idoneum. Verbo quidem, omnes Clavigeri motus ad scientias, et liberales quasque disciplinas erant intenti, nec aliud in amoribus habere videbatur, quam omni genere litterarum erudiri. Haec autem agens, aetatis annum decimum sextum vix attigerat.

Sed jam intus a coelo exstimulari coeperat, ut mundo nuntium mitteret, religiosamque tenuitatem spei fortunarum, ac Dignitatum antehaberet. Modico tempore secum ipse luctatus, demum constituit, ut rem maturius perpenderet, dies octo in domum recedere,

San-

Sancti Spiritus Collegio adjacentem; quam in domum liberum erat civibus, pro sacris meditationibus convenire. In hac animi solitudine res Divinas volvebat mire fervidus, et novitate commentationum agitatus; cum die quadam accumbens hora prandii, repente conspexit Patrem suum (qui forte per eos dies, ut solebat, in eumdem locum eadem de causa convenerat, nihil de filii recessu praemonitus) vidit, inquam, Xaverius Patrem more servorum dapes ministrantem. Id exempli ab homine tantae auctoritatis, quem et genus, et Dignitas, et supereminentes dotes in urbe tota commendabant; id, inquam, exempli tum summae fuit omnibus admirationi; tum Xaverio, qui maximopere diligebat, ac venerabatur Patrem, postremum fuit incitamentum, ut familiae splendorem, certamque spem majoris amplitudinis cum humili Jesuitarum veste commutaret. Ac lepide, ut ei moris erat, Xaverius postea de hoc eventu: *Si quicquam*, ajebat, *in dialecticas leges tum peccavi, male argumentans, a mundanis mihi recedendum, quia Pater meus animo demissum se se praebuit; at certe novit hominum corda potentissime movere, qui me, proposito paternae demissionis exemplo, ad hanc rerum mearum vicissitudinem traxit*.

Idibus ergo Februariis, anno 1748. Societati nomen dedit; ac tirocinii biennio cum laude pietatis, et maturi judicii confecto, ad humaniora studia de more transivit. Et hic nova quadam explicatione ingenii Clavigerus emi-

nuit: ab illo enim eruditionis quasi plantarie, quam confusis notionibus puerulus comparaverat; a bonis postmodum auctoribus assidua manu versatis; ab acquisitis luminibus tum in grammaticae, philosophiae, Theologiaeque gymnasiis, tum praesertim in familiaritate cum viris apertae mentis, et cultae consuetudinis; hoc demum tempore maturrimi fructus prodiere. Quidquid caeteris auditoribus publice tradebatur, ille condiscebat ea perfectione, ad quam pervenire paucis datum est: rerum enim origines investigabat; notiones cum notionibus accuratissime conferebat; quam suis conatibus veritatem reperiebat, in adversariis notabat; quam in bonis auctoribus legebat sententiam, aut periodum exquisitae venustatis, imitatione, quoad poterat, assequi conabatur; optimi saporis latinos non tam lectione, quam meditatione volvebat, ac totis viribus adlaborabat, ut ab eis concinnum stilum, et loquendi virtutes attingeret. Qua quidem studendi ratione mirificos in politioribus litteris egit progressus; atque ab latina lingua quasi vocatus, et suaviter invitatus ad graecam, primas hujus institutiones ipse proprio marte, summisque sudoribus degustavit; in quibus postea non inutilem posuit operam, et graecos ultra mediocritatem intellexit, Germano viro graece, atque hebraice doctissimo facem praeferente, atque illum in his doctrinis manuducente. Per id etiam temporis hebraicis initiatus est, quantum certe fuit satis, ut postea Germani ejusdem adjutus ope,

pro

Digitized by Google

pro suis usibus hebraice intelligeret. Generatim vero linguarum studium ab illis exordiis ita nutrivit, ut postmodum aetate maturior, in paucis elegans hispane, latine, ac mexicane loqueretur; gallicum, et lusitanum sermonem perfecte caperet, nulloque labore scriberet, tametsi verba facilis in eis linguis non daret, quoniam ad vocalem sermonis usum raro devenit; Laletanos, et Majoricenses, tanquam eorum esset civis, intelligeret; nec ad Germanos, ad Britannos, aliasque gentes tum Asiaticas, tum Afras omnino loqui non posset. Quod de Americanis est, sive ad borealem, sive ad australem orbis plagam; plura poetica, et sacra Fidei mysteria, et preces, quas vocamus Dominicales, plusquam triginta linguis variatas, curiose congesserat. Et ab hac sermonum diversorum eruditione singularem habuit peritiam in mutis characteribus dignoscendis: a quolibet enim indicio ad pervestigandum excitabatur, intentissimam operam adhibebat, nota cum ignotis, certa cum dubiis conferebat, omnia bono in lumine collocabat; donec tandem rem, quam inquireret, felicissime vestigiis persequeretur.

Nec solum haec fuere semina, quibus mentem, ad magna quaelibet factam, eo tempore foecundavit; sed quidquid amplissimo politiorum litterarum nomine intelligimus, totum sane assecutus est ab hac adolescentis ingenii mirabili explicatione: nam et habuit rectissimam eloquentiae, poeseosque notionem; et formavit se se ad purgati saporis universitatem; et matura-

turavit judicandi prudentiam; et castigatissima scribens critice, stilum acquisivit affatim solidum, simplicem, gravem, faciliter fluentem, laconico propiorem, non affectatione comptum, sed dignitate plenum, atque ingenue venustum. Ita quidem quam ad ea studia praecelsam mentem attulit, mirifice tunc exornavit; sibique viam aperuit ad perfectissimam in his doctrinam, quam postmodum adeptus est. Quae sane doctrina tantae fuit amplitudinis, ut avide legerit, ac maturo judicio ponderaverit, quidquid excellentius in hac eloquentiae, poeseosque laude posteritati commendarunt nationes, quae nostra aetate sunt, atque in elapsis fuere cultiores. Hoc demum tempore Clavigerus eam eruditionem, et lumina sibi comparavit, quorum usus ei tanti fuit, ut vitam ageret in litteris admodum operosam; et quorum vestigia facile cerneres, quoties aliquid ille, vel ex gravioribus disciplinis, tractaret. Ejusmodi rerum amplissimae notiones, aetatis anno fere vicesimo, magnae profecto laudis essent, tametsi aut Aristoteles, ac Tullios Magistros audiisset, aut aureo saeculo resurgentium litterarum adolevisset. Ille autem tum temporis natus est, cum corruptus litterarum sapor nondum penitus desierat; educatusque in illa orbis plaga, ubi maximopere timebatur, ne cum novis doctrinarum luminibus errores etiam in re Christiana, passim alibi serpentes, introferrentur: quemadmodum timuerunt olim religiosi Patres Capitolini, ne Graecorum litteratura romanae juventutis

mores

mores corrumperet. Quare Clavigerus, cui non levis fuit operae, praejudicatas hoc in genere opiniones cum paucis expugnare, dignus quidem est laudibus, et grata posterorum memoria.

Designatus inde Angelopolim, ut ex Mexicanae Societatis more, totum annum philosophiam repeteret; nullo labore cum primis excelluit, quo tempore nonaginta theses pro consueto periculo propugnavit. Haec, inquam, nullo prorsus labore: magnam enim diei partem habebat vacuam, ut insatiabili sciendi desiderio satisfaceret, ac perquamutilibus doctrinis mentem excoleret. Feijovio, et Tosca ducibus, in ejus philosophiae desideria pervenerat, quam, Olympiadum temporibus adultam, nos recentem appellamus: et hanc sane furtivis amoribus, ut ita dicam, privato studio prosecutus est. Nonnihil hoc anno versavit Regium, Duhamelem, Saguensium, Purchotum, Cartesium, Gasendum, Newtonem, Leibnitzium; quorum etiam vitas, atque historiam legens, mire delectabatur; ab eorumque descriptis imaginibus Fontenellium amavit, et magnifecit. Sed et alia plura subcisivis horis legit volumina, tum quae, data occasione, quaerebat in domestica bibliotheca, ubi selectissima quaeque reperires; tum quae sponte offerebantur ab iis, quorum eruditam amicitiam olim coluerat, et qui nunc, facturi rem gratam avidissimo scientiarum adolescenti, nihil gravabantur ei mittere, quidquid ab recentibus typis rarum, et curiosum prodibat.

Eadem instructus discendi cupidine, post

 annum

annum contendit Mexicum, Theologiae daturus operam; ubi theatrum invenit, quale votis concipere vix potuisset ad miros in litteris progressus, atque in eisdem oppido jucundum oblectamentum. Forte fortuna per id temporis inter Socios Mexicanos Theologiae vacantes lectissima juventa convenerat, quae tum singularibus, atque ad magna factis ingeniis, tum inflammata sciendi cupidine, tum strenua in rebus aggrediendis magnanimitate, scientiarum renovationem in ea orbis plaga vel omnino attulit, vel certe maximopere fovit, ac prolatavit. Id nimirum est ex consueta Dei providentia, qui mundum suum sapienter administrans, quoties magnam aliquam mutationem constituit, viros explicat ingenio vegetos, animo fortes, et cunctis dotibus ad rerum instaurationem idoneos. In horum intima consuetudine Clavigerus magis in dies acuebat ingenium, et ab illis accipiebat lumina, eisdemque vicissim reddebat, quae suis ipse conatibus comparabat. Plurimi etiam illi fuit ad majorem doctrinae amplitudinem fortuita Sociorum juvenum concursio, qui Mexicum a Germania venerant, humanioribus litteris admodum culti, Sociisque Novohispanis ab urbana morum elegantia gratissimi. Et Clavigerus, cui nulla non erat opportuna discendi occasio, cum eis inivit amicitiae vincula; cujus et alios habuit fructus, et quem supra demonstravimus, ut in graecis, hebraicisque litteris, quas primis gustarat labris, mediocritatem saltem attingeret.

Sed

Sed opportuniorem ea tempestate nactus est amicum, et studiorum comitem, in iis autem indicem optimarum disciplinarum, Josephum Raphaelem Campojum, quem suo loco descripsimus ab scientiarum vastitate clarissimum. Hoc duce primum novit Clavigerus, in eo Divorum Petri, et Pauli Collegio thesaurum selectissimorum auctorum ad omnigenam litteraturam inveniri. Quare in hoc thesauro, et sapientis hujus amici disciplina longum horarum spatium desudabat, ingenti conatu pervestigans, et volvens, quidquid utile ad desideratam scientiarum aedificationem arbitrabatur. Ab eodem Campojo didicit, ibidem reperiri pretiosa litterarum monumenta, quae saeculo decimo septimo Sociis ejus Collegii legaverat Carolus Siguenza Gongora, Mexicanus eximii nominis, cui pares doctrina vix paucos, quod audierimus, elapsum saeculum numeravit. Erant in his monumentis vetusta Mexicanorum volumina, quae Carolus ipse servaverat ab ejusmodi rerum communi ruina; quam certe ruinam nunquam satis Musae deplorabunt. Hunc Siguenzam ab eo jam tempore Clavigerus ducem suorum votorum secutus est; ac volumina conspiciens, voluptate summa perfusus est ab sincera benevolentia, qua Mexicanos prosequebatur. Nec mirari desinebat levigatam illam chartam priscorum indigenarum, ante notam ipsis Europae culturam: hieroglyphicas autem eas litteras nec unquam mente non retinuit, nec, ut ipsas intelligeret, unquam cessavit miris conatibus

incum-

incumbere. Profecto lugendus est, sin minus alia causa, Clavigeri exitus; quoniam vir defecit, qui fumosa haec Mexicanorum, inter primos aetatis nostrae capere, atque explicare obtinuerit.

In hac erat suavissima mentis occupatione, cum renuntiatur alumnorum Praefectus in Mexicano Divi Ildephonsi Seminario. Demonstravimus alibi, quantae gravitatis esset id muneris; cum ab ejusmodi Praefecto magna ex parte penderet in futurum publica res Mexicanorum. Non ignorabat Clavigerus, quanti est momenti bonum publicum; et perfectissime noverat officia, quae praestare debebat ephebis, qui suae curae committebantur: nam et prudentissimum sui Patris judicium in educandis pueris puer ipse conspexerat; et postea rerum usu, longisque meditationibus plura didicerat; et ab auctoribus boni nominis lumina super his rebus evidentiora derivaverat. Quamobrem Deo praestare voluisset obsequium, et puerorum tum mentes, tum animos ad sublimium suarum notionum mensuram instituere. Cum autem animadvertisset, arduum, et periculosum sibi futurum, si tentaret expungere quasdam consuetudines, quae in Seminariis ibi gentium eo tempore invaluerant; opportunius putavit omnino conticescere, nec ullam novitatem inducere. Sedabat quidem conscientiae stimulos ea cogitatione, quod non ex suo, sed ex Rectoris consilio deberet muneri satisfacere; nihilo tamen secius excruciabatur vehementer, quoniam ex officio

face-

facere teneretur adversus ea, quae saniora judicabat; pluraque deberet ab sibi creditis alumnis exigere, quae minime duceret exigenda. Paucos vero menses in ea fluctuatione duravit: nam ut erat sincero inprimis ingenio, Scriptum mandavit ad Provinciae Magistratum, in quo, exposita ratione, quam ipse tenendam arbitrabatur in juvenibus instituendis, palam aperiebat ingentem dolorem, quod rectam viam noscens, eaque ire desiderans, aliam tamen persequi deberet, quae neutiquam in propositam sibi metam perduceret. Provinciam tum administrabat Joannes Antonius Baltasar, Germanus multa rerum prudentia, judiciique maturitate; qui juventutem cum egisset in celebri Parmensium Seminario, nobilem, atque ingenuam educationem acceperat. Admiratus est Baltasar, et maximopere commendavit ingenium Praefecti, cujus erat propositum sane dignum emeriti viri, qui longa rerum administratione ad canos pervenisset. Quamobrem temperare sibi non potuit, quin coram ipso Clavigero laudaret tum elegantiam stili, tum scripti totius ordinem, tum consiliorum rectitudinem, tum vero modestissimam temperantiam, quod silere maluisset, quam importune tumultus excire. Cessationem quidem a munere, quod oppido reluctans gerebat, illi concessit, ne fluctibus internis amplius torqueretur; his autem verbis prudens Moderator Clavigerum recreavit: *Haec tua consilia, nihil dubita, suo tempore secundum exitum obtinebunt*.

Resti-

Restitutus ergo in Divorum Petri, et Pauli Collegium, subiit alterum, et tertium Theologiae periculum, nunquam non summis Magistrorum laudibus cumulatus. Et tunc de more sacris ordinibus erat initiandus, nisi tertium egisset periculum, nondum expleto aetatis anno secundo, et vicesimo. Sed hujus dignitatis loco destinatur Magister, qui Rhetoricam Mexicanis traderet; ad quod munus evehi neminem audivimus aetate nostra, nisi Sacerdotio decoratum, et fere semper post confecta in Theologicis annorum quatuor curricula. Supplevit vero dignitatem prudentia, et doctrina; quibus eminere, perinde ac si in iis muneribus plura stipendia meruisset, jam ab initio Magisterii demonstravit: nam quo die renovabantur gymnasia, splendidam habuit orationem, in qua luculentissime commendans eloquentiae disciplinam, vehementer exarsit in quaedam oratorum vitia, quae tum temporis mirifice placebant, et non per tribunalia solum, sed per sacra etiam pulpita foede serpebant. Temerarium certe consilium videretur, id audere juvenem, cum primum verba publice faceret Magister; nisi fuisset oratio, communi cunctorum ordinum suffragio, numeris omnibus absoluta: nam praeter purissimum latinitatis nitorem, et dicendi facillimam elegantiam, quibus auditores allexit; prudenter etiam, ornate, copiose, fortiter, urbane, modeste, salebrosum argumentum tractavit. Et ab ea quidem oratione sibi merito comparavit Oratoris nomen genuini prorsus, ac splendidi, nihilque

hilque

hilque non audentis; ut etiam palam fecit nativam alacritatem, ab aſſentationibus abhorrentem, et quae non aliud in sudoribus litterariis quaerebat, niſi veritatis indagationem. Hoc etiam anno, quoties Michael Caſtillus, Marianae puerorum Sodalitatis Praefectus, vel morbo, vel occupationibus impeditus, conſuetam ſabbatis operam dare non poterat; Clavigerus nondum Sacerdos ad alumnos concionabatur: quod quam apposite faceret ad puerorum captum, nos quidem teſtes fuimus, et ſumma cum voluptate meminimus, animo praeter morem intento fuiſſe ſuppares noſtros, ut illum ſuaviter cohortantem, enodateque dicentem inaudirent. Pari fuit accuratione in erudiendis diſcipulis; quorum in numero fuere Joſephus Uribius, et Linus Gomezius, alter ab litterario merito Mexici notiſſimus, et in Canonicorum Collegium ejuſdem urbis primariae jampridem adlectus, alter vero a caſtigatis moribus, matura prudentia, et non vulgaribus litteris, ad pingue Sacerdotium, atque animorum regimen appellatus.

A meritis in hoc munere laudibus ad ſacros ordines Clavigerus evehitur, continuoque deſignatur, ut primarias theſes ad diem totum Angelopoli propugnaret. Atque in hac urbe, quod primum fuerat ei puerulo litterariae gloriae theatrum; ſummis nunc auditus eſt Sapientum plauſibus, quo die mane Theologus, poſt meridiem Pontificii juris peritus, Magiſtro quidem, quam diſcipulo ſimilior, in periculum venit.

nit. Tertio deinde probatus ad annum in rebus pietatis, postulavit a Majoribus, ad operam in bonum indigenarum destinari. Demonstravimus, cum Marquezium describeremus, Collegium fuisse Mexici, Divi Gregorii nomine, quod in id fuerat excitatum, ut vernaculo sermone indigenae Mexicani sacris religionibus pascerentur. Hoc igitur Collegium instar magnetis fuit Clavigero, qui tanta semper benevolentia fuerat in egenos, et contemptos Indigenas, ut totam ipsis praestare suam operam quamardenter desideraret. Annuente piis ejus votis Provinciae Magistratu, novus operarius in id primum incubuit, ut Mexicanam linguam condisceret; brevique tempore Mexicanis in sacrae poenitentiae subsellio dabat aures, ad eosdem e suggestu dicebat, alloquentibusque in familiari consuetudine de re qualibet respondebat. Hi vero labores in charis excolendis indigenis eo praesertim erant Clavigero suavissimi, quod magnam diei partem vacuam illi relinquebant, quam in libris ad arbitrium consumeret. Ac profecto nihil ea vita jucundius ipsi, nihil ejus ingenio accommodatius contingere potuisset; adeo quidem, ut quinquennium, quod in eo posuit Collegio, suam postmodum beatitatem appellare consueverit. Assiduam, atque intentissimam ibi dedit operam libris devorandis, nactus nimirum occasionem et vacui temporis a gravioribus occupationibus, et domesticae bibliothecae, quam selectissimis refertam libris, Codicibusque incredibili voluptate frequentabat.

Et

Et quidem in varia linguarum eruditione magnos tum fecit progressus; et gallorum praesertim libros ita versavit, ut toto postea vitae cursu linguam hanc, perinde ac nativam hispanam, intellexerit. Mexicanos codices legit, quotquot scripserant Majores ab eo condito Collegio: qui sane codices utilitati Sociorum, quibus id operae contingeret, ibidem asservabantur. Ejusdem nationis monumenta, quorum plura diximus in contiguo Divorum Petri, et Pauli Collegio custodiri, curiosissimis oculis eo quinquennio cuncta lustravit; atque ingenti sudore pretiosos inde thesauros exhausit, quos in historia, quam dedit posteritati, bono publico postea manifestavit.

Sed homo in litterarum laboribus irrequietus, magna jam copia luminum ornatus, et semper anhelans universorum emolumentum; majori fuerat animo factus, quam ut his limitibus teneretur. Quare per id temporis toto coepit conatu quaerere publicam utilitatem, brevissimis ab se factis, editisque opusculis, quorum aliis nomen suum, aliis nullum apponebat, aliorum etiam auctorem dici patiebatur unum aliquem ex sibi familiaribus; ut nimirum qui legeret, opus ex merito ponderaret, nec ex praejudicio contemneret. Unde manifestum erat, Clavigerum non in his gloriam sibi, sed veritati vindicationem aucupari. Argumenta vero suorum codicum omnia tendebant in optatam scientiarum renovationem; sive ut perfectum litteraturae saporem induceret; sive ut

cor-

corruptam dicendi rationem emendaret; sive ut linguarum studium promoveret; sive ut puram putam philosophiam laudibus extolleret; sive ut curiosam aliquam ex historicis controversiam agitaret. Sed potissimum laudati fuere bini sermones, quos hispanice publicavit; primum, ut e sacro suggestu, quae cathedra veritatis est, vitia nonnulla eradicaret, in quae fere prolabi Divinarum rerum Oratores, ipse cum paucis lacrimabatur; alterum, ut errores etiam abigeret, quibus illi erant obnoxii, qui modicis instructi doctrinis, ad munus gravissimum praestandi aures pro sacra poenitentia nihil dubitabant accedere. Quos quidem sermones, ut praeclari nominis Dignitate commendarentur, instar annotationum apposuit epistolis illis, quas de iisdem argumentis conscripsit Divus Franciscus Salesius; et quas e gallica in hispanicam linguam Clavigerus ipse convertit. Et tum has epistolas hispanice conversas, tum illas annotationes ita probavere Sapientes; ut postmodum, absente, ac ne cogitante quidem auctore, typis commissae sint.

Immaturo fato per eos dies functus est Emmanuel Clavigerus, Xaverii germanus frater, eximiae probitatis, atque animi demississimi Sacerdos; cujus vitae seriem Xaverius eleganti calamo posteris commendavit. Nec obfuit auctoris intima cum defuncto necessitudo, quominus fides omnino praestaretur: cum et urbi toti manifesta fuisset laudati viri castigatissima vita; et laudantis integritatem, ac sincerissimum can-

dorem

dorem universi praedicarent. Cum autem soleat nuda veritas historico simultates afferre; fuit potens quidam, qui male secum actum in facti cujusdam narratione jactaret, ac fluctus in simpulo excitaret. Clavigerus, neminem profecto cum offendere cogitasset, opem imploravit Divi Nepomuceni, quem magno semper coluerat studio; cujus et vitam scribere, sacramento concepto, pollicitus est, ut inopinata tempestas illa sedaretur. Nec ulla data mora, quam italice conscriptam Nepomuceni vitam invenit, Hispanice reddidit, ac datam fidem liberavit. Post haec vero Provinciae Magistratus opportunum credidit, Mexico Clavigerum Angelopolim appellare in Divi Xaverii Collegium, quod in bonum indigenarum iisdem legibus, atque alterum Divi Gregorii, recens fuerat institutum. Id quidem unum proficiscenti Clavigero displicuit, quod plures Mexici relinquebat adolescentes indole strenua, menteque vegeta, quibuscum sua consilia lubenter communicabat; unde brevi nasceretur illa nova scientiarum aetas, quam ipse longo jam tempore suspirabat. Ex his adolescentibus aliqui supersunt hodie, qui patriae decori sunt; atque inter primos eminet Josephus Alzateus, cujus assiduas in litteris vigilias interdum audimus, tametsi mari immenso disterminemur.

Eidem operae in Divi Xaverii Collegio destinatus, ut eosdem continuavit sudores in excolendis indigenarum animis, ita nec cessavit ab emittendis opusculis, quibus desideria litteraturae sanioris excitarentur. Ea pariter tem-

pestate maximopere celebratum fuit nomen ejus ab oratoria laude; praecipuisque plausibus cuncti civitatis ordines orationem exceperunt, quam de Divi Xaverii gestis dixit in ejusdem solemnibus. Quam quidem orationem, tunc audivimus, impulisse Provinciae Moderatorem, ut Clavigerum ab indigenarum opera vocaret ad Magisteria, Vallisoletique in Michoacanensibus tradere philosophiam imperaret. Tardus certe honos! quem ille suscipere, designatus ad Guadalaxarenses ante annos aliquot, recusarat. Sed ita constitutum Divina providentia videtur, ut quam audebat ille novam, aut novae similem, philosophiam edocere, matura docentis auctoritas, et multis nominibus acquisita fama commendaret. Omnino tempus erat, ad nativum decorem restituendi collapsam ibi gentium, atque in naenias declinantem philosophiam. Et proxime superioribus annis Mexici, Guatimalae, Queretari, Havanae, tentatum fuerat a Magistris aliquot Mexicanae Societatis, ut nonnullas tum utiles, tum jucundas quaestiones, ante plures annos in illis gymnasiis non auditas, adolescentes gustarent. Nemo fuit autem ante Clavigerum, qui perfectam ibi daret numeris omnibus philosophiam. Quod magnum opus profecto non adstrueret, nisi vir intrepidus, qui constanti natus esset strenuitate ad ingentes conatus; et quem, praeter eminentiam ingenii, nobilis quaedam animi magnitudo decoraret. Hanc patefecit magnitudinem statim in Oratione, quam latine dixit ex munere pro scholis in-

instaurandis: artes enim simulandi nesciens, ingenua sinceritate manifestavit, non eam ab se tradendam philosophiam, quae juvenum mentes vel nulla prorsus, vel certe modica utilitate fatigaret; sed quam olim Graeci tradiderant, quam Sapientes recentiores magnopere praedicabant, quam culta probabat Europa, publiceque in gymnasiis edocebat, quam inprimis utilem, et captui puerorum accommodatam ipse judicabat. Id autem ea mansuetudine, ac temperantia proposuit, non tanquam inveterata in docendo refelleret vitia; sed instar amici generosi, et civis optimi, qui, quem abditum thesaurum ab antiquorum sapientum fodinis extraxerat, in bonum publicum dispensabat. Temperare non potuit ab summis plausibus, et sinceris gratulationibus Canonicorum Collegium, cui Vallisoleti moris erat, solemnissimo conventu ejusmodi orationibus interesse; atque ab his Canonicorum plausibus per universam eam regionem Clavigeri nomen inolevit.

Crescebat in dies opinio de Magistri sapientia; philosophiaeque ab ipso traditae novitatem omnes jucundissime mirabantur. Erat haec philosophia summarium venuste latinum, omnino limpidum, summo fabrefactum ordine, purgatum omni thematum, et verborum inutilitate; in quo mire contractos, et perspicuitate maxima dilucidatos legeres philosophos Graecos; ut etiam quidquid utiliter invenere Sapientes recentiores a Verulamio, et Cartesio ad Americanum Franklinium. Illi quidem, quibus haec

Digitized by Google

fuerant adhuc inaudita, summopere delectabantur, et pene instar prodigii Magistrum admirabantur; qui vero vel primis labris ea gustaverant, effusissima laetitia novo Doctori plaudebant, ac de benemerito cive patriae gratulabantur. Et Magistri peritiae, dexteritatique in docendo (quae quidem dexteritas non est omnium Sapientum) auditorum progressus respondebant. Pulchrum erat intueri, quanto conatu adolescentes incumberent iis condiscendis! Ut sane manifestum fuerit, rerum scientiam (rerum, inquam, scientiam, non umbras, et mysteria verborum) esse genuinum hominis alimentum. Profecto vix unus erit aliquis in magna epheborum turba, quin accuratam afferat diligentiam ad ea condiscenda, quae rerum naturae sunt, et fere cernuntur oculis; dummodo Magister is fuerit, qui et sibi conciliet benevolentiam auditorum, et res dilucidatas, enodatas, ad eorumque captum digestas proponat: nascimur enim homines vehementer ad sciendum inclinati; et qui mundum, et nos creavit, investigationi nostrae mundum concessit. Feliciter etiam accidit Clavigero, quod summus Provinciae Magistratus (Franciscus Zevallius, vir a nobis alibi descriptus, apertissimo clarus ingenio, vastaque, ac solida litteratura, quam nullae obscurabant praejudicatae opiniones) cum Sociorum Collegium lustraturus, Vallisoletum venisset; inceptum ea ratione Clavigeri Magisterium non modo probavit, verumetiam cohortationibus, et fere imperio Magistrum exstimula-

mulavit, ut rei philosophicae salutarem instaurationem ad exitum omnino perduceret. Illum etiam non mediocriter adjuvit in operis perfectionem prisca necessitudo cum Vincentio Torija, Sacerdote Angelopolitano, qui tunc Angelopoli florebat, inprimis litteratus, et critices laude celebratissimus: is Clavigero in paucis amicus, quos iste desiderabat libros, magna copia Vallisoletum immisit. Theses illae, quas auditores philosophiae publice propugnare solent, Clavigeri discipulos ingenti gloria cumularunt; et palam fuit omnibus, quanti sit momenti ad optimam juvenum institutionem actuosa docentis industria, tradendaeque doctrinae dexteritas.

Ab his Magisterii Vallisoletani plausibus appellatur Guadalaxaram, urbem Novae Galleciae principem; ubi casu intempestivo defecerat Socius, qui secundo jam anno philosophiam tradebat. Huic suffectus Clavigerus, mirifice adlaboravit, id primum aggressus, ut auditores nonnulla dediscerent ex iis, quae decessor dictaverat: pluribus enim ejus doctrinis acquiescere nullo pacto poterat. Deinde vero quae de rebus physicis ab eo conscripta reperit, novus Magister ad suam docendi rationem compendio recudit, atque instauravit. Ipsum quidem Clavigerum, cujus in animi virtutibus excellebat mira sinceritas, haec dicentem audiisse meminimus: *Ignorant plane Guadalaxarenses, quantum in eo Magisterio desudaverim, quantisque lucubrationibus valetudinem meam fatigaverim, ut tam modico tempore magnam philosophiae*

partem adolescentes edocerem. Et modicum certe fuit tempus: Magisterium enim, ineunte Majo, capessivit; et curriculum ante Majum subsequentem confecerat. Sed immodicis ejus conatibus uberrimi fructus responderunt: paucis enim post diebus visum est gymnasium quasi regenerari, novusque vigor, atque alacritas auditorum, plaudentibus, attonitisque stupore cunctis civibus, explicari. Quod quanquam ingentis fuit laudi Guadalaxarensibus, qui fere nascuntur acutis, facilibus, et omnino spectabilibus ingeniis, ut alibi memoravimus; praecipuae vero laudes ab Sapientibus ejus urbis Clavigero tributae sunt, cujus doctrina brevissimis diebus id effecerat, ut venientes in litterariam palaestram ejus auditores, mirabilem doctrinam mirabiliori alacritate profunderent. Universae philosophiae thesibus, quas illi publice defenderunt, plausit Mexicus, plausit, quam late protenditur, Nova Hispania, plausere postmodum Sapientes Itali, qui cum voluptate legerunt forte allatum earumdem thesium exemplar, nec mediocriter mirati sunt ut tersam, et germanam latinitatem, ita et vere philosophicam Mexicani Magistri scientiam. A duobus his philosophorum examinibus, quae Vallisoleti, Guadalaxaraeque Clavigerus instituit, prodiere postmodum celeberrimi nominis Doctores, quorum plures hodie sunt in ornamentis patriae clarissimis. Nec leve fuit etiam Novohispanis emolumentum, quod exemplo suo Clavigerus Magistris aliis vigorem infuderit, ab eisque abe-

gerit

gerit inane terriculum, quo fuerant hactenus occupati, nequid a via trita discederent; tanquam sacrum esset dogma, quod eas tradere doctrinas in philosophicis deberent, quas a majoribus acceperant. Tanti quidem est in bonum universae nationis, aliquem innasci virum ingenuae strenuitatis ad egregia facinora!

Sed in his litterarum occupationibus non ita diem totum insumebat, ut officia, quae sunt Sacerdotis, in animorum bonum praetermitteret. Casu incidit in difficillima Collegii Guadalaxarensis tempora; cum nimirum eae religiones, quae publici sunt emolumenti, variis de causis infrequentes in domestico templo devenerant. Clavigerus autem, aliusque Socius probitatis notissimae, laudabilem praestantes assiduitatem sacro poenitentiae subsellio, consuetudinem juvandi animos restituerunt. Atque ita quidem, ut post modicum temporis ab eorum adventu, maxima rursus frequentia civium in Societatis aedes conveniret. Desudavit etiam in erudiendis e sacro suggestu civibus; et quod magnum oratoris nomen attulerat, ingentibus incrementis ibi gentium propagatum est. Praecipuis vero laudibus celebrata fuit elegans admodum oratio, quam in Divi Lojolae solemnibus, adstante Regio Senatu, Canonicorum Collegio, magnifico nobilium coetu, frequentissimoque populo, pronuntiavit. Quam orationem tanti fecit Eusebius Sanchezius Pareja, Regius in illa urbe Senator, et merito litterarum ad Dignitates evectus; ut ejusdem exemplar

transcribi, servandum ab se in pretiosis, postulaverit. Haec autem, quae peculiaria sui muneris erant officia, non ita Clavigerum distinebant, ut tempus ei non superesset ad alias in cubiculi silentio lucubrationes. Nunquam enim ab opere cessans, pluribus hac eadem tempestate studuit; et quamvis plane non audeamus asserere, suspicamur tamen, indefessum hunc virum, dum in his erat operosis occupationibus, pulcherrimum illum inchoasse dialogum inter Philaletem, et Paleophilum; cujus est argumentum, id in studio physicarum rerum agendum, ut veritatem inquiramus, minime vero ut constitutum quodvis placitum ex decessorum arbitrio propugnemus. Hic superest dialogus in opusculorum multitudine, quibus ab ipso propagatum, purgatumque fuisse litterarum saporem, supra demonstravimus.

Confecerat summa cum laude Clavigerus alterum philosophiae curriculum, et renuntiatus fuerat Marianae Sodalitatis in eadem urbe Praefectus; cum repente jubetur in Italos navigare. Undevicesimo navigationis die cum attigisset Havanam, eo loci gravissime tentatus est valetudine: qui sane morbus praeter imminens vitae periculum, id etiam illi attulit incommodum, quod longos dies coactus est a libris abstinere, quos adversi temporis individuos comites, et suavissimum solatium habuerat. Utcunque vero sanitati restitutus, et navigationem, et studia resumpsit; nec nova defuit materies insatiabili discendi cupidini, quam ani-

mo

ſuo ſemper innutriebat: verſavit enim aſſidua manu, quos de re nautica codices ibidem invenit; conſuetudinem iniit cum navis Magiſtro, quicum plura loquebatur, eo ſemper intentus, ut eruditae curioſitati ſatisfaceret; atque ita demum eam peritiam nauticam comparavit, quam Sapiens prae nautis comparat, etiam in rerum anguſtiis, et tempore non diuturno. Interdum etiam eruditio Clavigeri de rebus phyſicis non mediocriter adjuvit ad plura ſubita dilucidanda, quae credas in mari portenta, niſi naturae rerum ſtudueris. Poſtremum ſubiit periculum iſte vir ad ardua quaelibet factus, cum in Sociis ipſe nonus juxta promontorium Corſicum in cymbula veheretur: haec enim cymbula, mari quidem non procelloſo, ventis tamen a terra furentibus, toto latere in adverſam partem inclinata, et demerſa, undis oppleta eſt uſque ad vectorum naufragium. Tres fuere Socii, qui tandem excuſſi, atque in mare delapſi, miſerabiliter hauſti ſunt; vivi tamen emerſi, diuque cum fluctibus colluctati, magno demum conatu adrepſere, ut caeteri prius fecerant, in ſupernatantem cymbae partem: protenſum enim velum, quod nautae Latinum appellant, impedierat, quominus omnino peſſum iret navigium. Guadalupanae Virginis opem Socii, quotquot erant, imploraverunt; et prodigio ſimile viſum eſt, quod ultra horae dimidium in eo periculo duraſſent cum mortis imagine pugnantes; et quod navigium alterum forte fortuna non procul tranſmeaſſet,

cujus

cujus Magister ad naufragorum aspectum misericordia commotus venit in auxilium, atque omnes incolumes excepit. Et hoc Mexicanorum in mari mediterraneo naufragium cum ipsorum liberatione, Guadalupanae Virginis attribuenda patrocinio, fuerat Mexici praenuntiatum, nondum pulsis e patria Sociis: cujus rei plures fuerunt in Mexicanis gravioribus testes luculentissimi. Rideant haec illi, quoad libuerit (impune quidem, dum sint in hac mortalitate) quibus placet ad confictas fabulas amandare, quidquid evincit, Deum esse, ac mundum administrare, atque interdum hominibus futura patefacere. Nos interea fidem historiae sequimur, nec rem tanti momenti, certissimis testibus comprobatam, silentio possumus praeterire.

Post varios in Corsis casus, post praecipitem trajectum in Italiae continentem, post innumera terrestris itineris incommoda, cujus non modicam partem pedes egit Clavigerus, alacri tamen animo, et mente, qua poterat, in libros intenta, quoties diversorium attingeret; Ferrariae tandem ex imperio Moderatoris consedit. Et statim hac in urbe casus illi obtulit amicitiam Achillis Crispi, Comitis in Ferrariensibus, atque ejus filii Benedicti. Erat Achilles ingenii dotibus, atque eruditione clarissimus; et cum forte audiisset in privata consuetudine loquentem Clavigerum, excelsam advenae mentem odoratus est, ac liberaliter humanus benevolentiam ipsi suam, et domesticam bibliothecam exhibuit. Necdum vero requieverat Clavigerus

ab

ab incommodis longissimi, ac difficillimi terra, marique itineris, cum rationem excogitavit utiliter impendendi temporis in scientiarum incrementum. Datis litteris ad suos aliquot, quibuscum utebatur intima necessitudine, consilium manifestavit de scientiarum Academia inter Mexicanos Italiae convenas instituenda; quae certe ramis constaret pluribus, ut nec majores artes, aut scientiae, nec politiores litterae, nec linguarum copiosa varietas, nec ornamentum historiae, nec doctrinae mathematicae, nec humana de rebus physicis inventa, nec leges recte judicandi praeterirentur. Hi vero Academiae rami, tametsi loco disjuncti essent, ut unusquisque in sua studia quietius incumberent; debebant tamen fraternitate quadam mutuum sibi praestare auxilium, et lumina vicissim communicare. Atque omnia praecelsus ille genius, et vere mirabilis, ita dispensaverat, ut nihil esset non congruens aut locorum diversitati, aut temporum difficultati; nihil non consentaneum Collegarum aetatibus, atque ingeniis, ut natura fert, in varia studia propendentibus. Quod sane consilium a Clavigero tum creatum, avide legerunt, atque admirati sunt plurimi; quorum unus, qui scriptum adhuc retinet, plane testatur, dignum esse, quod aut Quintilianum, aut Verulamium, aut Mabillonium, aut Rollinium, auctorem habuisset. Ac profecto consilium hoc ut mente crearetur, et calamo dilucidaretur ea temporis brevitate, summaque naturae lassitudine ob longissimam navigationem, viasque ter-

restres

restres aegerrime confectas; opus erat viro sublimis admodum ingenii, cujus esset inprimis clarissima mentis excellentia, judiciumque summopere maturum; cui praecognita fuissent profunda scientiarum arcana; qui diuturna meditatione rimatus esset vias omnes, quibus ire in excelsae litteraturae gloriam, humanae menti datum est. Sed temporum injuria contigit, ut non plenum, atque integrum haberent exitum tam utilia litteris cogitata.

Enimvero post modicum temporis constitutum est, Bononiae domum ad Sociorum usus concinnari; quae certe domus quamdam Academiae speciem praeseferebat: in eam enim praeter Clavigerum, Alegrium, Davilam, alii pariter ingenio spectabiles convenere; qui et scientiis exerceri, totis viribus conabantur, et se se paratos offerebant, ut, quas ipsi doctrinas acquisierant, studiosae juventuti communicarent. Quare jocosa urbanitate nonnulli diversorium illud Mexicanorum, *Sapientiae Sedem* appellare consuerunt. Jucundum accidit Clavigero, Bononiae commorari; quam urbem ita magnifaciebat, ut, Sociis per viam incertis, quo pergerent, auditus ille sit dicere: *Beatum me post ingentem calamitatem existimabo, si contingat Bononiae degere, quae urbs est inter primas culta, tot litteratorum patria, et multis nominibus famosa*. Et sane merito, cum nemo sit unus in Sapientibus, quin fateatur, Bononiam diu fuisse Romanarum Musarum conservatricem, clarissimorum civium plantarium,

omni-

omnigenae scientiae Magistram, optimorum codicum eruditam custodem, atque inter prima incunabula revocatae ab longa peregrinatione litteraturae. Consuetudinem suam manuscripta dispergendi opuscula, recepit in hac urbe Clavigerus, quibus nunc utilia studia promovebat, eademque solidis rationibus, efficacique strenuitate tuebatur ab eorum calumniis, qui quaecunque ignorant, conviciis persequuntur; nunc sermones eruditos eleganti calamo agitabat; nunc naturae scientiam, et quidquid sanioris est philosophiae, laudibus extollebat; nunc Theologiae sublimis aliquot argumenta docte, diserte, nervosissimeque tractabat; nunc demum plura momenti maximi, et scitu digna, quae ad Novohispanam Ecclesiam attinent, exarabat. Quae quidem opuscula cum in Italos nonnullos litteris claros permanassent, maximopere tunc probata fuerunt, hodieque summa cum auctoris laude retinentur.

Nec tamen haec erant, quae praecipue Clavigeri mentem occupabant: nam a prisca benevolentia, qua Mexicanos, eorumque patriam tellurem prosecutus fuerat, in ipsorum memoriam assidue revocabatur. Illa multiplicium adeo rerum notitia, et notio, quibus mentem nullo delectu, ordineve cumulaverat, quo tempore agebat apud Mexicanos Indigenas; magis, magisque se se in dies explicabat hac jam aetate, qua vir eruditus ad summum litteraturae culmen adnitebatur. Ab ejusmodi rerum abundantia, quae passim in mentem ei veniebant,

bant, cogitatio subiit ejus animum, ut omnia sensim conscriberet, atque ordine distincto digereret: quod eo fecit animo, ut tot Novi orbis monumenta, quae sapientum curiositatem percellerent, ab interitu vindicaret. Ac plura jam coegerat, utilissimoque labore in lexici formam ordinaverat; cum quidam ejus familiaris, cui nota erat viri strenuitas ad ardua quaevis obeunda: *Quid enimvero*, inquit, *hunc rerum cumulum*, *quae tum exquisitae sunt*, *tum copiosae*, *non audes in historicam narrationem redigere?* Sane res erat quam difficilis ab librorum inopia, quibus penitus indigebat, ut opus tanti momenti, quod hactenus a nemine fuerat tentatum, in hac a Mexicanis distantia perficeretur. Huic autem inopiae subvenere tum amicorum generosa liberalitas, tum ipsius Clavigeri conatus; atque ita citius quam crediderat, codices, librosque comparavit, sinminus quot optaverat, certe plures quam sperare potuisset, atque ad opus inchoandum mirabiliter idoneos. Totus erat in silva paranda, cum ecce per Italiam, magno quidem rumore, dimanare coepit inconditum opus, cui titulus erat, *Philosophicae super Americanis investigationes*, Germano quodam in Borussis auctore; cujus quidem auctoris tametsi calamus est alacer, nec inelegans; omnia tamen, contra quam sunt, intelligit, ac passim errat, in iis etiam, quae luce clariora videas, ut in Novum Orbem pedem intuleris. Et postremus hic fuit impulsus, ut, praecisis difficultatibus, ad veritatis patro-

ciniun

cinium suscipiendum, et Mexicanorum historiam concinnandam, se se Clavigerus accingeret.

Ac profecto, nisi familiares ii, qui rem propriis oculis conspexerunt, intelligere nemo possit, quantum adlaboraverit indefessus ille vir, ut res absconditas, et pene oblivione consepultas, ex vetustissimis ruderibus antiquitatis effoderet. Vir sane, qui ab informi, confusoque chaos elementa extraxerit, huc, atque huc in obscuris latebris dispersa; qui rimatus fuerit sinus fere impenetrabiles, ut horum elementorum particulas inveniret; qui particulas ipsas infinito sudore coagmentaverit, ordinaverit, in bono lumine collocaverit; vir, inquam, iste creavisse potius historiam, quam scripsisse dicendus est. Nec opus ejusmodi veniet perfectum, nisi ab herculeis viribus, ab ingenio praecelso, multisque instructo doctrinis, ab homine demum, qui nullos omnino recusat labores, ut in optatam metam perveniat. Quod certe majoris est operae, cum in alieno solo, reque inope vivit, qui provinciam tantam aggreditur. Clavigerus autem experimento probavit, patriam Sapientis orbem esse: nec aut indigentia, quam ab ejus vestium tenuitate satis argumentari licebat, aut etiam peregrini nomen, impedierunt, quominus ille facilem sibi captaret aditum, non modo in omnes bibliothecas, quae publici juris in hac urbe sunt, verum etiam in privatas, quarum est copia non mediocris inter cultissimos Bononienses. Et bi-

blio-

bliothecarum Praefecti cum viderent, externum hominem per aestus, per nives, quibus non assueverat, ire quotidie longis itineribus, ut solus in angulo sedens, nullo strepitu, nulla caeterorum molestia, codices, aut libros exquisitos, et paucis cognitos, accuratione summa pervolveret; temperare sibi non poterant, quin advenam illum magnifacerent. Qua Praefectorum aestimatione, atque inde benevolentia comparata, reserabantur Clavigero selectissima quaevis in bibliothecis: eaque ratione Bononiae, Ferrariae, Mutinae, nec non, amicorum opera, Romae, Florentiae, Januae, Mediolani, Venetiis, plura, quam speraverat, Mexicanorum reperit monumenta. Bononiae quidem magnam hoc in genere supellectilem invenit in magnifica bibliotheca, litterati orbis inter primas, quae Scientiarum Instituti, ut appellant, propria est; ubi summa cum voluptate res inter alias contemplatus est archetypum Mexicanum, Novi ejus orbis membrana, et notis exaratum, plicatumque, ut gentes eaedem interdum solebant. Florentia vero quamplurima conservat Mexicanarum antiquitatum monumenta, quae cum Moctezumae imagine sibi mandari postulavit Beatrix Toleda, Princeps foemina, Magni olim Ducis Florentinorum uxor. Hispana demum dominatio plura reliquit ejusmodi vestigia in Mediolanensibus, et Neapolitanis; a quibus in alias Italiae urbes disseminata sunt. Liceat hic obiter gratias referre litteratis Italis, quorum delicato in rebus ejusmodi sapori debe-

debemus, ne multa ex Mexicanorum vetustis omnino perierint.

Cum igitur annos aliquot incredibiliter desudasset, summamque navitatem adhibuisset in rimandis, volvendis, digerendis, ordinandis instrumentis, quae sparsim huc, atque huc effodiebat; hispano tandem sermone Mexicanorum historiam elegantissime concinnatam absolvit. Nec omittere debemus eximiam illam veritatem, quae in primis est historici virtutibus; et quam ille tam fideliter coluit, ut, siquid in ea nimium esse possit, ipse profecto pene modum excedere videretur. Quidam ex ejus familiaribus, cui suam historiam subjecerat accurate lustrandam, et corrigendam, amice monuit auctorem, circinum in ea fortasse breviorem, quam aequum erat, adhiberi, pro Mexicani Imperii tum diuturnitate, tum finibus dimetiendis. Cui Clavigerus genuina sinceritate: *Utatur*, ait, *unusquisque suo circino; sed qui meum a me velit auferre, id argumentationibus evincat: equidem, quem hactenus adhibui, pro grandiori altero libenter concedam. Breviores illae mensurae, quibus utor, non certe satisfaciunt ingenitae cupidini mira narrandi, quae mortalibus inesse solet, cum praesertim res patrias apud externos commemorant; sed cum habeam in charissimis, historiae sequi fidem, has omnino mensuras debeo sanctae veritati, prout illam animo concepi, postquam longissime rem totam investigavi.* Et profecto priusquam scriberet, quaerebat, perpendebat, examinabat, cum aliis conferebat

summopere diligens: quam hominis accurationem pluribus quidem possemus exemplis confirmare; sed quia brevitati studemus, hoc in genere pauca delibabimus. Rem nescio quam diu dubitaverat, cujus veritatem confirmare non poterat, nisi librum legeret, quem Bononiae longe conquisitum non reperit: sed cum intellexisset, praedictum librum inveniri Mutınae; mane quodam, aestivo tempore, cisio vectus ex iis, quibus non est umbraculum, illuc iter instituit. Mutinam ingressus, quasi nihil fatigatus esset post viginti fere milliaria, summumque caloris incommodum, adit e vestigio publicam Principis bibliothecam; optatum librum inquirit; excerpit ea, quibus egebat; eodemque Sole Bononiam remigrat laetus admodum de itineris exitu. Neque tamen omnia fausta contigerant: nam et de cisio conciderat, et caput male fractum ab litteraria peregrinatione Bononiam attulerat. Sed nimirum nulli non erant Clavigero jucundissimi labores, ut rei, quam dubitabat, veritatem exquireret. Ea vero, quorum perfectam cognitionem assequi nullo poterat conatu, silentio praeteribat; aut iis de rebus non se potuisse veritatem indagare, sincere profitebatur. Atque hac de causa nunquam aggressus est aliorum ejusdem regionis Indigenarum historiam contexere, nec etiam Mistecarum, quos potissimum amabat a prima inter ipsos educatione. Sed haec hominis accuratio visa praesertim est in conficiendo, sive ad certas leges redigendo Mexicanorum

vete-

veterum *Kalendario*, quo gentis ejusdem dierum, mensium, annorum, saeculorum periodi describuntur; quod Kalendarium tametsi parva res legentibus appareat, liquido tamen comperimus, Clavigero non minus constitisse totius biennii vigiliis, obstinatisque sudoribus, ut res fere dispersas, nec ab ullo satis examinatas, quaereret, inveniret, excuteret, digereret, atque in suo lumine collocaret. Quid ipsi constiterint caetera, Sapiens lector intelligat.

Opere demum absoluto, et saepius ad majorem perfectionem emendato, tametsi nunquam omnino ad auctoris approbationem; dubium exortum est num typis committeretur hispano, quo natum erat, sermone? num italice conversum? num vero gallice, ob latiorem hujus linguae propagationem? Hispani quidem typi Clavigero erant in votis ab amore patrio; sed cum id fieri posse tum temporis non crederet, italicum sermonem antetulit in obsequium cultissimarum gentium, apud quas tot jam annos diversabamur. Ergo diu, noctuque paucos menses cum desudasset; ut suam latinam historiam hispane Mariana reddidit, suam hispanam Clavigerus italice convertit; quam docto cuidam Italo subjecit ab iis linguae vitiis corrigendam, in quae potuisset incidere peregrinitas. Interea vero latissime inolescebat expectatio de annuntiato jam opere; quam argumentari licebat a magno illorum numero per diversas urbes Italiae, qui se se subnotabant emptores. Typis tandem publicatam Mexica-

norum historiam incredibili plausu litteraria respublica excepit, et per universam Italiam Clavigero acclamatum est. Libelli, qui publice nuntiant eruditis opera recens edita, Romaeque, Florentiae, atque alibi censuram de istis pervulgant; historiam auctoris Mexicani magnis laudibus extulerunt. Modico post tempore per Galliam serpsit hoc opus; quod inde nobis compertum est, quoniam auctores ephemeridum Bullonii magniloquum Clavigeri elogium publicaverunt. Illi quidem eruditi censores cohortabantur suos cives, ut recens opus externi viri gallice redderetur; et certe non diu fuit, quin eo sermone prodiret Mexicanorum historia. Quae prima conversio nondum exierat, cum Gallus quidam Romae commorans, apud nos in familiari colloquio testatus est, se legisse, ac magnifacere Clavigerum, atque ut gallice legeretur, jam tunc suum calamum adhibere. Legitur etiam germanice; legitur anglice: cujus versionis auctor anno 1786. litteras dedit Clavigero, quibus, pro conficiendo suo labore, certa lumina requirebat. Litteris ille respondit, qua solebat ad omnes urbanitate; nec omisit, quidquid ab eo petebatur, erudite, diserte, ac sincere Britanno communicare. Nec dubitamus, hoc jam tempore idem opus à Danis haberi vernacula lingua: Danus enim, magnae vir auctoritatis, Bononia patriam cum remigrasset anno 1787, historiam Mexicanorum hoc animo coemit, ut danice verteret: nec minimas moeroris dedit significatio-

tiones, quod in hanc urbem perveniens, auctorem ante dies aliquot vita functum reperisset.

Primus ille plausuum strepitus, atque operis versiones in gallicam, germanicam, et britannicam linguam, quae generalis approbationis indicia fuere non levia; jucundae quidem voluptatis erant Clavigero, quoniam palam videbat, suas lucubrationes eruditum emolumentum curiositati Sapientum attulisse. Caetera vero, cum esset omnino ex iis praecelsa mente viris, qui sanam morum philosophiam aeque colunt in secundis, atque in adversis; laudes illae, quibus undique cumulabatur, nihil inflarunt ejus animum, quasi natura temperantem; nihil immutarunt ingenuam, atque oppido laudabilem ejus vitae consuetudinem; nihil etiam ab assidua defatigatione, ac libris, ipsum removerunt. Inter has enim sui nominis laudes, limpidissimo, sincerissimo, atque inprimis eleganti calamo, italice scripsit historiam Californiae; quam posthumam, et paucis adauctam, Ignatius Clavigerus, dignus tanto Sapiente germanus frater, biennio post auctoris obitum, typis publicari curavit. Ab immensa rerum silva, quas ad Mexicanorum historiam fabricandam congesserat, plura ipsi superfuerunt, a quibus alia nasci possent, eaque maximae utilitatis opera. Sed erat in his, quam posteritati committere praesertim desiderabat, historia rerum sacrarum in Novohispanis, a debellata Mexico Hispanorum armis. Erant pariter in ea silva vivis coloribus descriptae virorum plurium

omnis ordinis, et conditionis imagines, qui vel doctrina, vel virtutibus, ibi terrarum excelluerant: quarum imaginum aliquas nosmet legimus, atque ab ipso Clavigero intelleximus, conscriptas ab se fuisse plures, nonnullasque suo jam ordine dispositas; huic tamen operi postremam dare manum non potuit. Rimatus fuerat accurata diligentia, mandarique typis cogitabat familiarum claritudinem, tum quae trahentes hispanam originem, in orbe illo novo radices egerant, tum quae supersunt a prisca Indigenarum nobilitate. De rerum, atque hominum ejus orbis natura librum scripsit, quem historiae Mexicanorum praemisit; de iis tamen, ut etiam de geographicis ejusdem orbis, alia plura suis oculis observaverat, commentationibus volverat, in adversariis notaverat: quae quidem omnia, si vita diutius ei comes fuisset, aliquando digerere, ac publicare constituerat. Volvebat etiam animo curiosum opusculum de Coloniis Tlascalensium, quae fuerunt huc, atque huc in praesidium excitatae per borealem Americam juxta novas Hispanorum commorationes: qui Tlascalenses fuerant valde potens Indigenarum Respublica, Mexicano Imperio contermina, fortissimi bellatores, Hispanisque novum orbem expugnantibus Socii quamfidissimi. Praedictam historiam ut accuratius conformaret, omnia fere legerat, quae scriptores externi de remotis illis gentibus, et regionibus exararunt: quos externorum codices cum scatere videret erroribus, animadverteretque in

ejus-

ejusmodi narrationibus homines interdum errare bona fide; longa meditatione causas investigaverat, ob quas eruditi complures, tametsi non aberrent a veritate scientes, et volentes, prodigialiter tamen delirant: quare conscribere decreverat elementa critices, ut sano consilio quis possit de rebus Americanis judicare. Profecto dolendum est, quod immatura mors eripuerit hominem, qui talium operum silvam in bonum litterarum parabat!

Hic autem occupationum aestus nihil impediebat, quominus cuivis urbane satisfaceret, qui de rebus litterariis ipsum interrogaret. Opinio sapientiae Clavigeri, quae tum ab historia, tum ab aliis ineditis operibus per Italos dimanabat, quamplurimos ad ipsum detulit, etiam ei nihil cognitos, et nonnullos peregrinos, qui noscere virum fama praedicatum expetebant, et cum eodem erudita colloquia libenter miscebant. Inde autem assidua litterarum officia, quae nunquam non erant vel de dubiis ad Mexicanorum historiam pertinentibus, vel de rebus aliis eruditionem importantibus. Et certe benevolentiam eorum, quibuscum agebat, ipsi facile conciliabat sinceritas illa decore nobilis, et maxime propria Sapientis, qua plane respondebat, *nescio*, cum rem ignoraret; vel, *non satis affirmare possum*, cum dubitaret. Caetera vero nihil jucundius ei contingeret, quam vel exquirentibus ab se lumina, sine invidia communicare; vel ingenua veritate judicium proferre suum de alienis operibus, quoties haec ejus censorio

 cala-

calamo ab auctoribus ultro subjiciebantur. Ab his in aliorum bonum communicatis luminibus, et prolatis judiciis, plura prodiere Clavigeri scripta, quae si coalescerent in codicis formam, justa volumina fortasse quatuor efficerentur. Postremum dedit opus, ut obsequeretur pii cujusdam religioni, narrationem italice conscriptam Marianae manifestationis in Mexicanis, qua imaginem suam Virgo Parens divinitus pictam eis populis reliquit: qua in narratione descripsit etiam Clavigerus Templum undique magnificum, ubi sacra imago colitur in oppido, tribus ab urbe Mexico milliaribus, quod Guadalupium appellatur.

Bononiam redibat ab hoc opusculo Caesenae typis publicato, cum indicia sensit, se non esse natura conflatum aenea, quae perpetuis diu, noctuque defatigationibus posset resistere. Caesena Bononiam biduo fecit iter difficillimum, magnam partem pedes, atque assidue luctans cum cisio, cisiarioque; quorum uter esset pejoris naturae, judicare viator non potuit. Post modicum Clavigerus urinam cruentam coepit expellere, atque inter utrumque humani corporis meatum excruciari, tanquam externum impedimentum molestiam afficeret. Ille autem haec flocci ducebat; intereaque ad sudorem in libris perinde obstinabat, ac si prisca valetudine frueretur. Crescebat paulatim malum; enixe familiares urgebant, ut curatio tentaretur: Clavigerus ridebat super his, festive jocabatur, nec ullis poterat flecti precibus, ut Medicum ap-

pel-

pellaret. Timebat enim, ne, si concederet se Medicis (quorum arti diffidebat, fortasse nimium) hi temere juberent, ut vel parcissime libros volveret, vel ab eisdem omnino feriaretur. Atque ita suae securus valetudinis, quam praestantem, et robustam a natura sortitus fuerat; ac praeterea propriis in re medica confisus luminibus; fere quadriennium gravissima toleravit incommoda, nec ab studiorum opera cessans, nec ullis adhibitis remediis, nisi quae Medicus ipse sibimet imperabat. Sed morbo magis, magisque ingravescente, vehementissimeque urgentibus doloribus, mirum in modum impalluit, destitutus est viribus, atque etiam nolens ab studiorum assiduitate sensim defecit. Ineunte Septembri, anno 1786, festinare visus est in manifestum interitum; et cum fere vix posset domo pedem efferre, tunc demum cessit amicorum precibus, et serum auxilium a Chirurgo postulavit. Erat Chirurgus hic Jacobus Calvius, arte sua valens inter primos; neque tamen hujus peritiae fidebat ita Clavigerus, ut ante sumeret ab eo praescripta remedia, quam minutatim eorumdem naturam, atque efficaciam examinaret. Cum Calvio convenerat, ut hodie remedia praeciperet, mane sumenda: quo nimirum ei tempus esset, ut singulis praescriptae medicinae partibus accuratissime studeret. Quod si rerum naturam postquam animo tranquillo, maturoque judicio perpenderat, minus idoneum pro morbo suo remedium existimaret; postridie redeunti Chirurgo modestus expromebat, quid

eum

eum ab obedientia deterruisset. Id autem cum faceret, ita limpide judicium suum patefaciebat, ac tanta rerum cognitione tum medicamenti naturam, tum morbi statum dilucidabat; ut in familiari sermone Calvius admiratione defixus non semel dixerit: *Tremere nos oportet, cum ad aegrum appellamur, cui sit ea, quae Clavigero est, tum mentis excellentia, tum in rebus physicis eruditio.*

Per id fere temporis litteras accepit Clavigerus ab Academiae Mexicanae Rectore, qui nuntiabat, in eam tandem urbem pervenisse Mexicanorum historiam, quam eidem Academiae dicatam auctor immiserat. In his litteris Rector, postquam gratias egerat ob egregium amoris in patriam a cive longinquo monumentum; communi Doctorum nomine palam dicebat, honori sibi ducere Mexicanam Academiam, quod talem parturierit alumnum, qui translatus in alium orbem, ab omnigena eruditione, vastissimaque doctrina, Sapientis nomen sibi cultissimas inter gentes comparaverat: quod sane bonum alumni nomen in Academiae gloriam, unde prodierat ille, redundabat. Nec omittebat laudatus Rector, historiae plura exemplaria, Collegio toto suffragante, distributa dono fuisse, quorum aliud Praetori, aliud Pontifici, aliud Regii Senatus Antistiti, aliaque similiter aliis viris conspicuae Dignitatis; horum neminem non se se in auctoris laudes effudisse; Praetorem vero (Bernardus Galvezius hic erat, ab suavissimis naturae dotibus, a misericordia

in

in abjectos indigenas, ab erogatis in publicum bonum sumptibus, Mexico charus inprimis) post elogium Clavigero attributum, in haec sermonem terminavisse: *Profecto dignus est alumnus hic vester, quem singularibus honoribus, et praemiis cumuletis: propterea, congregato Collegio vestro, donum ipsi mandandum constituite; sed intelligatis, velim, me Praetorem, cujus est muneris, Academiae Patroni vices agere; partem praemii, quod constitueritis, libentissime collaturum.* Claudebat litteras Rector, communia Doctorum vota commemorans, ut longissimus viveret Clavigerus in Academiae Mexicanae decus, atque ornamentum.

De laudibus his, atque attributo sibi dono colloquens ille cum familiari quodam: *Id quidem*, ajebat, *indicium est, me ad interitum festinare: nunquam enim suo tempore secunda mihi contigerunt.* Ac sane fuerat ex viris illis, quibus larga favet natura in bonorum animi distributione; sed quibus non arridente fortuna, sera semper meritorum praemia perveniunt. Quod sane plurimis eventibus ex ejus vitae serie possemus confirmare; quos tamen praetermittimus, quia longiores jam fuimus, quam patitur institura brevitas. De proximo tunc interitu vaticinari visus est: nam brevi post tempore malum vehementer invaluit; ex Chirurgi, et familiarium precibus Medicus appellatur; totus aeger utriusque potestati permittitur; deficiunt vires ad usus vitae quotidianos; dolores horribiliter increscunt; morbi locus arte chirurgica

lustra-

lustratur; apparet fungosus tumor in ima vesicae parte induratus, qui totum fere cavum cum occupasset, pungebat interdum hanc, aut illam ex parvulis venis, et hoc pacto tres jam annos fluxionem sanguinis efficiebat. In hoc rerum statu Medicus de salute desperat, jubetque infirmum ad iter postremum sacris religionibus comparari. Clavigerus ad hunc nuntium nihil extimuit; quin imo vultu aequabilis, tranquillitate imperterritus, atque omnino magnanimus, mortem ad se lento passu venire conspexit; atque illam praestolatus est ea constantia, qua solent heroes Christiani, quos nihil expavescere ad humanorum casuum vicissitudinem edocuit genuina philosophia Servatoris Jesu Christi. Parochus ipse, qui sacram Eucharistiam in viaticum illi administravit, a moribundo rediit prorsus attonitus, ejusque in postremo certamine fortitudinem apud obvios praedicabat. Munitus est omnibus Christianorum religionibus, plura Fidei, Fiduciae, Charitatis, Patientiae, virtutumque aliarum edens documenta, sui compos usque ad extrema suspiria. Postridie demum Kalendas Apriles, anno 1787, in pace quievit, hora quarta pomeridiana, feria secunda majoris hebdomadae: quod certe fuit amicis ejus non leve moeroris delinimentum; cum ille mysteria Christi patientis peculiari semper pietate coluisset, ab eorumque meditationibus vigorem, et tranquillitatem in animum derivasset suum. Quantum patitur conditio diversantium in externis, magnifice fuit ei parentatum, et publice sup-

ce supplicatum in paroeciali Templo Divorum Cosmae, et Damiani; postea vero cadaver translatum est in Aedes Divae Luciae, quae fuere Jesuitarum. Litterae nuntiae, quae bis per hebdomadam eduntur Florentiae, Clavigeri vita functi elogium elegantissimo laboratum calamo publicarunt; quod elogium iisdem fere verbis hispanice redditum, in suis etiam litteris nuntiis Matritum exscripsit.

Fuit Franciscus Xaverius Clavigerus vir solide Christianus, cujus in operibus nulla fuit inanis amplificatio, nullum ex iis vitiis, quae sunt exigui, vel imprudentis animi, et quae religionem fucatam potius onerant, quam sinceram constituunt. Fuit in sacris Fidei mysteriis credendis, eximie religiosus; quae credebat, quia debere se credere judicabat; eademque propugnare ad sanae Theologiae leges intelligebat. Fuit honestus, et probus ab intima justitia suos mores regente; non ab affectata simulatione. Religiosam vitam professus est, quia se se ad eam a Numine vocatum existimavit. Ad Sacerdotis fastigium evectus, gravitatem muneris coluit; atque etiam quo tempore potuisset cessare, sponte incubuit in Dignitatis ministeria. Fuit litteratus nullis omnino technis, et quaesitis artibus, quibus uti solet infirma mortalitas, ut alienis vestibus ornata compareat. Fuit vir magno merito, sed honoris ambitionem haud noscere visus est. Nunquam patrocinium aucupabatur; tametsi non illud contemneret, si forte fortuna sibi obveniret: tunc

vero

vero mire temperans erat in usu alienae benevolentiae, nec illam apud alios jactabat. Modestus erat, cum sibi laudes attribuerentur; nec superbus in propriis meritis, a quibus illae veniebant. Quidquid ageret, sive in publicam, sive in privati cujusdam utilitatem, nullo unquam amore quaestus ducebatur; in quo quidem pene modum non retinuisse fortasse quis diceret. Felix erat in tenuitate, quae vix ad usus vitae quotidianos more pauperum satis esset. Silentium, et solitudinem eo quaerebat, ut se se litteris occuparet; in humana tamen consuetudine benevolus erat, urbanus, festive lepidus, nullo in verbis, aut factis pigmento, sincerus admodum natura verax, et sanctissime colens amicitias. Vultus aequabilitatem non amisit ob assiduas vicissitudines, atque ingentes calamitates, quibus vitam egit sane difficilem, praesertim ad quatuor postrema lustra. Caetera quidem, quantus fuerit Clavigerus, ab relictis ejus operibus judicabit sincera posteritas.

VICTO-

VICTORIANUS ARNESIUS.

PRidie Nonas Septembres, anno saeculi excurrentis trigesimo sexto in hac planctus communis valle comparuit homo ad christianam tolerantiam plane natus, Victorianus Arnesius. Graus illi patria fuit, haud ignobile oppidum Burtinensis dioeceseos in Aragonio Regno. Indolem sortitus optimam, pueritiam exegit inter aetate suppares nulli non charus, et pietatis operibus, ut pro illis annis, totus intentus. In patrio Sociorum Collegio grammatica elementa didicit, ubi et ingenium aperuit neutiquam spernendum, et ingentis animi ad virtutes omnes clarere coeperunt indicia. Utique palam erat jam tunc, inter mundanas vanitates, et fluxa delectamenta radices emittere non posse arborem, quam olim daturam jucundissimos fructus, quicunque facile ominabatur. Unum illi erat in votis, Deo inservire, ac semet eo vitae statu collocare, ubi totus esset in aeterni negotii cogitatione. Atque illuc ferventes ejus, assiduaeque precationes ad Numen collineabant; quas etiam commendare didicerat Mariae Dei Genitricis efficacissimae auctoritati. Hanc caelorum Reginam, donorumque ab supremo largitore Ministram, a tenero amaverat; eaque jam aetate, cum de eligenda vitae ratione, atque instituto deliberaret,

ret,

ret, nihil interrupte petendum ab ipsa existimavit, ut ad religiosam aliquam Familiam liceret sibi confugere, in qua procul a mundanis fluctibus, aeternae saluti procurandae solummode intenderet. Post diuturnas, easque ardentissimas preces, pensatis hinc, atque hinc omnibus, voluntas juvenis ad Jesuitas propendit: apud quos nimirum tum sibi consuleret; tum etiam, obsequens ingenio, disseminando Dei verbo, atque hominibus a profanarum rerum ad Numinis amorem traducendis vacaret. Vix in ea demum cogitatione consiterat, ab Aragoniae Provinciae Sociorum Moderatore postulare non distulit, ut ad suos candidatos adscriberetur. Enimvero, quo gratius esset Numini, sibimet acerbius, et numeris omnibus absolutum sacrificium; patriam etiam, et Parentes deserere prorsus instituit, efflictimque oravit, ut in Aragoniae Provinciae tirones cooptandus, ad aliquam e remotis Americanis destinaretur, ubi Neophytorum saluti toto pectore incumberet. Utrumque concessum est, tam pie, quam efficaciter postulanti; et fere octavo decimo aetatis anno confecto, saeculi vertentis quinquagesimo quarto, Idibus Aprilis, Jesuiticam induit vestem in Tarraconensi tirocinio.

In ea perfectionis officina, ubi tot insimul juvenes bono olim publico ad Societatis mores instituebantur; eminere confestim coepit Victoriani pietas. Pauci ab se tirone numerabantur dies, cum, orandi studio totus enixe intentus,

a Di-

a Divini Numinis praesentia nullo unquam abstractus humano casu, modestiaque oculorum apprime singularis, videbatur in iis moribus non tam recens eruditus, quam a prima statim educatus infantia. Et ea quidem contentione ad istiusmodi exercitia se contulit, ut quam brevissimo tempore ad iniquam devenerit valetudinem, et subinde Medici extimuerint oppido, ne proxime in phthisim vergeret illa corporis macies, et nimia virium extenuatio. Hac de re monitus, qui summa cum potestate Provinciam gubernabat, Tironum Moderatori sententiam aperuit suam: ut, quandoquidem in eo statu valetudinis ad Societatis ministeria futurus esset inutilis Victorianus, domum patriam illico mitteretur; si forte ad incunabula rediens, quod postremum solet esse a Medicis remedium, pristinam sanitatem recuperaret. Tironum ille Magister, qui juvenem indole suavissimum, pietate ferventissimum, magno futurum bono in Societate ominabatur; procrastinandum adhuc arbitratus est, aliaque tum divina, tum humana praetentanda remedia. Ergo dum hic novitiorum Magistratus, atque ex ejus imperio novitii omnes ad facilem Mariae Virginis clementiam novendialibus precibus confugiunt, atque infirmi sanitatem instanter postulant; ille in praedium rusticaturus immittitur. Et sane, demirantibus Medicis, et plaudentibus omnibus, qui abeuntem viderant macie confectum, et viribus destitutum; peculiari, ut credebatur, Deiparae beneficio, post paucos inde dies tiroci-

nium repetiit incolumis. Per id temporis graves dignitate Socii duo, qui Paraquarensis Provinciae negotia procuraturi, Matritum, Romamque cum potestate missi fuerant; Sodales Hispanos in laboriosam suam regionem devehendos, ad Mnestei portum praestolabantur. Illuc Victorianus contendere imperatus, natale solum, propinquos, amicos, populares, Divino ductus amore deseruit; ac per totam, quam longa est, terrestri itinere permeavit Hispaniam. Diebus aliquot in illo portu constitit, nihil dubitans, adscriptum se ad Socios Paraquarenses, evangelicis laboribus in Orbe illo remoto vacaturum, ubi copiosam admodum messem intelligebat albescere. Sed aliter ab eo praefinitum erat, qui *ubi vult, spirat; qui ludit in orbe terrarum;* qui mundum a se creatum, quemadmodum libet, gubernat; qui pro sua vinea excolenda locantes operam rejicere videtur interdum, juxta sua aeterna decreta opportunius alibi conducendos. Errore nescio quo, plures confluxerant Socii, quam vel posset navis deferre, vel Paraquarensis necessitas postularet: propterea cum excipiendi aliquot essent, qui ad Hispanos manerent; arbitrio ejus, qui sortes temperat, factum est, id contingere Victoriano. Aegerrime quidem ille tulit, hanc abripi sibi occasionem inter ethnicos desudandi: longo tamen usu precationis edoctus, bono semper fore hominum, quoties aliquid ex unius Dei voluntate ipsi obvenerit; Dominum id negantem, perinde atque concederet, patien-

tienter adoravit. Inde autem, quoniam a votis non destitit in Americanam quamlibet transmeandi Provinciam; ad Socios Boeticos interim relatus, in Sancti Aloysii Collegium, Hispali situm, mittitur, tirocinii biennium absoluturus. Novo ibi contubernio, novisque Sodalibus usus, aeque ac primis fuerat, charus et acceptus, eamdem religiosae vitae rationem, nihil omnino immutatus, retinuit. Ita demum biennio confecto, cum pari pietate, atque animi exultatione tria vota Societatis emisisset, quae domestico vocabulo simplicia nuncupabantur; Carmonae primum quinque mensium spatio humanioribus litteris dedit operam, inde Illiberi ad Sancti Pauli Collegium philosophiae cursum instituit.

Sed nullibi data requies pio juveni, quem extra patrium solum ad patientiae, ac fortitudinis exemplar destinarat Deus. Vix in philosophicis annum totum exegerat, cum Mnestei portum repetere jubetur, in Peruvianam Provinciam transducendus. Neque mora, duo supra triginta Socii paratam onerariam conscendunt; quam autem debilem oppido, et male omnino compactam, tam difficili, ac diuturnae navigationi restituram negabat vox publica. Utique Fortunatas insulas ferme, contra plurium spem, attigerant; cum, procellosis ventis agitato nimium quantum navigio, pavere primum vectores; inde illi etiam, qui maris periculis insueti non erant, rem serio cogitare, ac postremo, una voce a nautis inclamari, si-

ne mora remeandum, unde exierant. Confestim vertere proram, et per mare horrendis fluctibus turbatum Gades appelli suspirabant. Illuxit tandem dies post Kalendas Januarias, anno saeculi currentis octavo, et quinquagesimo; dies quidem teterrimus, et nigro postmodum lapillo, dum floruere Socii, notatus: mari enim magis, magisque in singula momenta inhorrescente, atroces flatus, atque a diversis coorti plagis, navigium tandem prope terram compulerûnt ad oram Lusitanam. Praesentis periculi specie turbati nautae, nec quid agerent, nec ubinam essent, animadvertere satis poterant; ac tenebris toto coelo densissimis, omnia luctu, atque horrore complebantur. Totum jam fere diem, obversante ubique mortis imagine, periclitati fuerant; cum circa noctis concubium, timens magnopere gubernator, ne, ventis urgentibus, ad certissimum naufragium deveherentur terrae propiores; incitavit utcunque nautarum industriam, et contentionem, ut proram volverent, atque alto pelago se committerent. Navis, repentino, validissimoque sufflante turbine, inclinata primum pergebat, deinde in scopulos illisa est. Actum illico de se credidere omnes; cum tot u[illegible]s obvallata, tot jactationibus conquassata, [illegible]tere omnino haud posset ea male firma o[illegible]a. Ventus insaevit, tumidiores aestus a[illegible]ur, vela discinduntur, mali, et gub[illegible]m diffringuntur, costae navis immodi[illegible]m ictibus convelluntur, oneraria ta[illegible]a, et lacera, la-

tus

tus aperit immenso pelago; et qui vitam illi commiserant, pene omnes fluctibus hausti sunt: Victorianus in altissima puppis parte pro se, ac caeteris, qui in naufragio versabantur, Omnipotentis misericordiam implorabat; cum autem, valido superveniente fluctu, puppis etiam confracta, et revulsa tota fuisset, excutitur et ipse, atque in undas misere dilabitur. Artis natandi nihil gnarus, pessum ire confestim debuisset, nisi in tanta rerum perturbatione supernatanti asseri fortuito adhaereret; paulo tamen post ab hoc etiam avulsus, fluctuque obrutus pessimo, et funditus ad maris usque profundum demersus est. Caeterum qui Jonam in praeparati piscis ventre, triduo toto servavit incolumem; facile potuit et naufragum hunc juvenem, ad sudores evangelicos destinatum, e sinu maris potenter extrahere, alteri fluitanti tabulae admovere, ac reciprocantis aestus auxilio sensim ad littus mirabili providentiae tractu deducere. Languens admodum, destitutus viribus, atque ab atroci pugna cum hoste tanto delassatus, ignotam arripit oram in qua sortis ejusdem nonnullos comperit, quorum alios, fluitantium fragmentorum incussu lividos, alios clavorum ictu cruentos; qui omnes frigore, ac pavore semianimes misericordiam Numinis implorabant. Nulli notum, ubinam terrarum essent; et sibi adhuc videbantur cum propinqua morte luctari, postquam ab irato, et minaci pelago effugissent. Intermortuus jacebat Socius quidam, vix ephebus, qui aegre a fluctibus elapsus, pessime

se habebat. Huic Victorianus casu cum occurreret; praecelsa magnitudine animi, quanquam et ipse in eadem clade, languentem recreare, fovere, ac verbis, quod unum poterat, consolari tentabat: dum vero inter haec officia moribundo persuadebat, ut longius ab undarum minis ambo insimul recedere maturarent; miser ille algore, ac defatigatione consumptus, pene inter ejus brachia fatalem horam nactus est. In tantis angustiis Victorianus non se deserit; quin imo nec noctis horror, nec extremus languor impedierunt, quominus ipse unus milliariorum aliquot iter ageret, subsidium petendi gratia, vel saltem, ubinam gentium esset, investigandi. Sed cum nihil explorare potuisset; postero die illucescente, ad littus revertitur; ubi horrida nimium rerum facies apparebat: nam et dolia, et capsae, et plures aliae dilacerati navigii funestae reliquiae, in salo adhuc tumescente fluitabant; et projecta ad terram passim cernebantur cadavera; inter quae quidem inventae sunt Sociorum aliquot exuviae, quorum duo supra viginti, tanti furoris victimae, vitam posuerant. Pii juvenis animum subiit cogitatio, caveas effodiendi pro tot cadaveribus in littore conspersis; nec rem infectam reliquisset, si unus ille sufficere potuisset ad tam arduam operam in illis temporis angustiis aggrediendam: etenim Socii, qui novem omnino superfuerant, raptim collatis inter se consiliis, quaerendam sibi in conjunctione individua salutem, et pergendum illico decreverunt. Ibat juxta maris

oram

oram infaustum hominum agmen, qui, ut recentes a naufragio, male contecti, frigore, atque inedia torpentes, paulatim incedebant; cum in turrim speculatoriam pervenientes, maxima cum voluptate intellexerunt, naufragii locum Arenariam fuisse, quam suis Hiſpani verbis *Arenas Gordas* appellant; neque procul inde situm esse Luciferi Fanum, Hispanae ditionis urbem. Et sane progressi paululum, ad eos venientem Socium conspicantur, qui a praedictae urbis Collegio missus erat, Sociorum, siqui superfuissent ex tanta calamitate, collecturus reliquias. Atque ille quidem, qui et vestes, et cibaria secum attulerat, postquam et male opertos vestivit, et fame afflictos utcunque saturavit; relicto apud eos famulo, qui ad Fanum Luciferi praeiret; ultra processit ad horrendum usque theatrum; et quae plura invenit cadavera, servatis, qua potuit, Christianis religionibus, tumulavit.

Datis in illa urbe diebus nonnullis curationi corporum, ab Sociis habuere naufragi, quidquid comis, atque urbanae charitatis officium est. Victorianus inde Illiberim rursus ex Superiorum imperio contendit, abrupto philosophiae curriculo instituturus; quo cum laude confecto, ad sacrum Theologiae studium in eadem urbe intendit animum. Et is profecto erat juvenis, dum istiusmodi liberales artes tractaret; ut testis, cum haec scribo, affirmet Sacerdos quidam, per id temporis quotidianus Victoriani convictor; *in nullam, vel minimam, ex Igna-*

 tianis

tianis legibus illum eo toto tempore peccare viſum eſſe. Jam a recenti naufragio, ſupremus Rector Societatis litteras ad Hiſpanos miſerat, in quibus paterno ductus amore, naufragos illos facultate donabat in eam, ſi vellent, remeandi Provinciam, ubi Societati nomen dederant: prudenter enim verebatur, ne acerbiſſimum foret ipſis imperium rurſus navigandi; atque ad praeteriti diſcriminis memoriam, ut eſt humana fragilitas, viſo ſtatim pelago, tanquam ad mortis decretum expaveſcerent. Ad haec, omni etiam ope certandum Victoriano fuit, ut ſe ſe a Parentum precibus expediret, qui etiam, atque etiam per litteras illum urgebant, ne tanto rurſus conſtitueretur in periculo; idque, ut amicis, patriae, Parentibus aeternum valediceret. Ille vero nec maris terrore, nec paternis precibus a ſuſcepto excuſſus conſilio, eadem ſemper animi magnitudine in haec ſenſa reſpondebat: *Cum ab ſupremo vitae, ac mortis Domino appellari me credam ad annuntiandum remotis gentibus Evangelicum verbum; nolo propriae voluntatis obſequi arbitrio, ſed invitantem omnino ſequi, totumque me Divinae Providentiae committere*. Hac religioſi juvenis robuſta firmitate palam omnibus facta, tertio jubetur Hiſpaniam deſerere, ad Mexicanae Provinciae Socios annumeratus. Et haec quidem prae duabus aliis felicior, quae tandem potuit in ſinu excipere tam probata pietate Socium; ad tres totos annos, quibus Theologiae navavit operam, modeſtiam ejus, obedientiam, precandi ſtudium, aliaſque vir-

virtutes attente conspicari; atque ab ipsius tandem sudoribus in Evangelica vinea fructus non exiguos colligere. Tertio igitur Kalendas Julias, anno supra millesimum septingentesimum sexagesimo, impavidus ad maris pericula, navim conscendit, et solvens confestim ab ora Gaditana, prospero semper usus est vento; donec Veramcrucem attigit, nobilissimum portum in Regno Mexicano. Inde ad principem urbem, vastissimi illius imperii caput; sine mora iter arripit; ubi post Theologiae biennium ad Sacerdotis dignitatem evectus, illico demonstravit, qualis esset intrinsecus in amando Numine; quantoque exciperet ardore laboriosa illa ministeria, quorum una meta est, animas Deo lucrari, et conciliare. Ac primum quidem toto animo, tota mente, totis viribus ad fervidissimam pietatem se se excitavit, ut primam Hostiam Numini offerret ad Eucharisticam Aram Sacerdos: gnarus videlicet, eam esse sacram operam, quae a caetera Christianorum turba Dei Ministrum discernit potissimum; quae Sacerdotem erigit ad novam personam, hominibus juxta, ac coelestibus incolis observandam; quam denique operam, Fidei nostrae Orthodoxae maximam, augustissimam, sanctissimam, Tridentina Synodus appellavit. Ab hujus dignitatis initio supposuit humeros indefessus oneri gravissimo expiandi hominum crimina in sacro Tribunali; cujus difficilia munera ut adamussim expleret, apprime se accinxerat non interrupto studio, atque assidua precatione: a quo nimi-

rum Tribunali evellendus non fuerat, nisi ab Hispanis finibus exule Societate. Anno jam Sacerdos, constitutos Theologiae terminos, neutiquam illaudatus, absolvit; atque inde in Angelopolitano Sancti Spiritus Collegio menses aliquot in re pietatis tertio probatus; votorum tandem compos, operosam ad Californios provinciam subire, a Superiore imperatur.

California, nomen a peregrinorum aliquot commentis, delirationibusque famosum jampridem, peninsula est, cui a tergo adjacet Nova Hispania, sinu tantummodo divisa, quem ab illa Californicum appellarunt. Qua tractu longiori est, a gradu ferme vicesimo secundo borealis latitudinis ad quadragesimum tertium excurrit; in latum vero protenditur a gradu longitudinis ducentesimo quinquagesimo octavo ad sextum, et sexagesimum. Regio ferme tota in mediterraneis, usque ad hoc tempus cognita, sicca nimium est, atque aestu intolerabili; quae vero plaga est in litoralibus, tum ad Occasum, quae mari Pacifico, tum ad Orientem, quae praedicto sinu Californico alluitur; nonnullas offert exiguas planities et vitae, et victui minus incommodas: nam et mare propinquum torridos regionis aestus humidis vaporibus temperat aliquantulum, et a montium praeruptis rivuli descendunt aliquot, quibus opportune utuntur cultores ad solum irrigandum: nec enim aliter seminationi locus est; cum infrequentes pluviae sint, nec tempestivae. Universim, plaga illa mundi, tantis alias praedicata laudibus, at-

que

que aliquorum errore, multorum malitia, plurimorum credulitate, ad fabulosae regionis pulchritudinem conficta; montosa prorsus est, perpetuis aspera salebris, praerupta, et infoecunda; ut coeli ejus temperies ingrata, et insalubris. Utique abundant piscibus, ac testaceis incolae juxta litus positi; qui vero mediterranea loca incolebant, silvestribus pomis, radicibus, et seminibus victitabant, quae sponte ab inculta producebantur tellure; nisi cervo in saltibus persequendo, vel avibus aucupandis darent operam; aut fortasse in leporem, parvam lacertam, aliudve immundum animal inciderent aliquando. Et quod nullius hactenus gentis fasti memorarunt, nec sine tetra penuriae mirabilis imagine potest in mentem revocari; id de Californiis intelleximus: nimirum, postquam pomo se cibaverant, cui nomen ab indigenis *Pitahája*, purgato subinde alvo, dilutoque aqua purgamento, a sordibus distrahebant pomi comesti semina, quae granulis minutissimis, duris, atris, innumerabilibus constant; atque his ad Solis aestum siccatis, aut igne torrefactis iterum nutriebantur. Post subjectam Hispano Regi peninsulam, traducti sunt cives illi ad vitam humaniorem; et quantum patitur inopia regionis, inolevit ibi etiam consuetudo iis vescendi, quibus alibi solent homines. Id enimvero famosam maxime, atque orbi charam (ut est humana cupiditas) praestitit Californiam, quod ad Sinus oram, atque ad insulas propinquas ingens copia sit margaritarum. Porro hu-

jus-

jusmodi piscatus, quoniam minor est in eo sinu profunditas, facilius, quam ad Malabaricas, aliasque Indiae orientalis oras, inibi gentium exercetur. Et piscabantur quidem indigenae ante exterorum adventum; sed flocci gemmam facientes, igni concham admovere non dubitabant, torridum ostreum gustaturi. Hodie jam ad illos contagio tandem pervasit, atque aestimare didicerunt, quod alios vident ad se adeuntes magnifacere. Californii (si cum aliis Americae Septemtrionalis indigenis illos conferas) colore sunt subobscuriori; eleganti tamen corpore, nec facie deformi; lacertosi, praestantes viribus, commodaque, ut plurimum, utuntur valetudine. Qui ad Auſtrum regionem incolunt, ingenio habentur ferociori, turbulenti, fide falsi, et fallaces; qui vero ad Septemtriones, indole sedata, bona fide, libertate nobili. Una pares inventi sunt omnes hebete mente, ac stupida; quales nimirum Graeci fuere olim; quales initio Romani, qui legem cum moribus orbi dedere postmodum; quales ubique terrarum populi, priusquam tempora unicuique felicia illucescerent. Unde generatim eo carebant Californii, quod hominem constituit civilem, utilem sibi, et humanae consuetudini, atque ad rationis leges compositum. Nihilo tamen minus, a rixis inter domesticos temperabant; iram solis in bello reservabant hostibus; nec ad furtum proni erant; nec ebrietatem vel nomine cognoscebant. Nudos prorsus homines incedere, moris erat; ea duntaxat tegere foemi-

nas,

nas, quae pudor imperat. Tantae corporis nuditati respondebat omnino commorationis locus: tota errabundi luce, victum quaeritabant; cum autem advesperasceret, vel juxta arborem cubabant, vel, qui delicatiores esse vellent, septum sibi construebant e temere jactis lapidibus, altitudine ad palmos fere quatuor, ad duodecim vero palmos diametro protensum; ubi nullo tecto, nulla pariter cura, tranquilli sternebantur. Quod si pluvia ſortasse ingrueret, satis illis erat, si latere daretur in specu quolibet a natura formato. Hanc peninsulam, hos homines, non armis debellare, sed Evangelicis verbis Hispano Regi subigere tentavit, et obtinuit illustris animorum charitate Socius, Joannes Maria Salvattierra, Mediolani natus praeclaro sanguine. Unum Jesu Cruci affixi simulacrum manu sustentabat, cum ingratam regionem adiit; atque his duntaxat armis apud barbaras eas gentes, immensis devoratis laboribus, Catholicam Fidem, et Hispanam dominationem induxit. Quibus gentibus cum leges dederit ad Christianam, et Civilem institutionem; cum ad postremum fere spiritum illarum bono incredibiliter adlaboraverit; cum ipsas verbo, et opere docuerit, homines cunctos (quod ait Tullius in libro tertio de Finibus) ad conjunctionem, congregationemque hominum, et civilem communitatem esse natos; eo certe nomine haberi aeternum debebit Salvattierra Californiis, quo Spartanis Lycurgus, quo Solon Atheniensibus. Comitabatur Salvattierram in

perar-

perarduo illo facinore Joannes Ugartius, Tegusijalpae in Comajaguensibus natus, ingenti animo Socius, et robusta corporis constitutione praevalidus; quam totam lubentissime impendit in obsequium Numinis, atque in illos populos a vita propemodum digna belluis ad humanum cultum, et Christianam mansuetudinem, per diuturnam tolerantiam, quae pene fidem exsuperat, traducendos. Hanc eamdem vineam sanguine postmodum irrigarunt, ab Australibus Californiis pro Christo trucidati Socii, Nicolaus Tamaralius, et Laurentius Carrancus. Plures inde ad saeculi praesentis annum sexagesimum octavum Californiam sudoribus excoluere Mexicani Socii, ad mille propemodum et ducenta milliaria, Christi vexillum inferentes, atque una sub eo Hispanicam obedientiam.

Operae pretium duximus tum regionis, tum hominum notitiam praemittere, apud quos Victorianus, vestigia Majorum aemulatus, ingentem posuit operam toto quadriennio. Maxima igitur voluptate, vehementique juvandi animos desiderio totus incensus, Angelopoli profectus est; ac nongentis terrestri itinere, totidemque per mare transversum, emensis milliaribus, Californiam tandem attigit in portu Lauretano. Intellexit supremus illius regionis Moderator, novum Socium adventasse Divino Spiritu ductum, iisque virtutibus munitum ad operosa ministeria, ut gratum ipsi futurum esset, si ad locum illico mitteretur, qui et penuria, et sudoribus pro Christo, prae caeteris abundaret.

Propte-

Propterea destinatus est, ut ultra notos jam terminos, et Christianis legibus constitutos, Evangelica expugnatione procederet. Interea vero dum res maturius agitantur, pro novo pago excitando, cui Sacrorum Minister praeesset Victorianus; comes mandatur Venceslao Linckio, Socio Germano, ad Borgiae Fanum Californios illos instituenti, qui postremi in boreali plaga Christianam disciplinam susceperant. Toto ibi transacto biennio, Linckii benevolentiam, et admirationem tum humanissima consuetudine, tum castigatissima sanctimonia sibi inprimis conciliavit. Quacunque ratione poterat, illum in re domestica, et in Sacro ministerio adjuvabat; eodemque tempore adhibebat intentissimum condiscendae linguae studium, ut quamprimum posset rem ipse perfecte administrare. Nec praetermisit in eo sui Apostolatus tanquam tirocinio fatigare macerationibus corpus, atque auxilium a Numine implorare; ut portaturus immensum pondus, necessariis praemuniretur virtutibus. Orabat assiduus, urgebat, lacrimabatur ante Deum, qui solus corda hominum emollit, solus verbum efficax Oratori ministrat: utique gnarus, eos in exultatione messuros, qui seminavissent in lacrimis. Haec inter cum, ut supra demonstravimus, de loco eligendo cogitaretur, ubi sedem figeret novi populi designatus Minister; per vicinas eas plagas errabundi quotidie Socii peregrinabantur. Is debebat esse locus, cui planities adjaceret aliqua pro seminatione vel modica; cui pascua pro

re

re pecuaria, et armentis; cui potissimum rivulus propinquus, undarum copia perenni, a quo tum potaturis hominibus, et bestiis, tum etiam ad arida irriganda sata, necessarius humor derivaretur. Per barbaras, atque ignotas gentes, per arenosa aequora, per montium praerupta, peregre abiit Linckius ad gradum usque trigesimum tertium borealis latitudinis; nec, nisi ad centesimum octogesimum a Borgiae Fano milliarium, commodam excitando pago mansionem invenit. Attamen, si ad tantum loci intervallum Nova Sedes Christianis erigeretur; Sacerdos inibi commorans, extremo esset in discrimine: cum hostes a tergo positi, certe possent vel perarduum ipsi reddere, vel etiam omnino perrumpere commercium cum ejusdem Fidei hominibus. Propterea collatis consiliis, et pensatis hinc, atque hinc difficultatibus, construi pagum Socii decreverunt iniquiore in loco, viciniore tamen, cui nomen ab Indigenis Calannusuetus. Hunc locum, gradu situm ferme trigesimo ad Septemtriones, repererat primus ante annos tredecim Ferdinandus Consagius, praefervidus in Californiis Minister, ab suis peregrinationibus per salebrosos eos tractus oppido famosus ibi gentium; locum tamen explorator ille humano contubernio minus idoneum existimavit. Sed quoniam nullus omnino inventus erat propior, cui mediocris esset commoditas; atque ut procederetur ultra in Christi Fide prolatanda, Socios urgebat Divina charitas; figendam ibi sedem esse, postremis illis temporibus constitutum est. Lam-

Lambertus Hostellius, cui suprema poteſtas erat in Evangelicos Californiae Ministros, Victorianum una cum altero Socio pro Christiani illius pagi aedificatione designavit: qui sane gemini, nulla facta mora, charitatis ardore pleni, neque vero exterriti ad immensam laborum multitudinem, quos, in opere tanto perficiendo, facile praesagiebant; alacri diligentia se accingunt ad operosam provinciam, atque Apostolatus viam libentissime arripiunt. Prima illis cura fuit, domunculam aedificare, aut potius vile tugurium, quod ex acerato luto excitatum, et palmis utcunque contectum, quambrevissimo tempore absolutum comparuit. Tribus ad modicam amplitudinem cubiculis aedes tota constabat: quorum primum, et illud grandiusculum, in Templi formam fuit erectum, et Mariae Virgini consecratum, ubi et Divinam hostiam quotidie immolarent Ministri, et pro sacris aliis precibus, atque audiendo Dei Verbo, praefinitis temporibus Indigenae convenirent; alterum erat cubiculum pro Ministrorum habitatione; tertium pro re penuaria; cujus quidem aditus ostio ligneo, quod unum haberi potuit, obseratus est: caetera patebant omnino; cum nulla toto illo tractu lignatio inveniretur. Pridie Idus Octobris, anno sexagesimo sexto, immigravit tandem in novam sedem Victorianus, quinquaginta circiter comitatus Indigenis, jam ante Sacro fonte lustratis; qui ad novum Ministerium idcirco pertinere dicti sunt, quoniam erant commoratione propiores. Et eo

statim, quo transmigravere die, lustralibus initiati sunt aquis Infantes duo, quos ultro Parentes obtulerunt; qui et ipsi Parentes, in Christi disciplina erudiendi, apud Sacros Ministros manere nihil dubitarunt. Hos eodem nomine secuti sunt alii, qui postulabant enixe, leges, et mores Christianos edoceri, atque ad Sacramentalem ablutionem comparari se se. Profecto albescebat ibi terrarum ea messis Christo colligenda, quae responderet sudoribus impigri, atque indefessi cultoris; nisi deploranda rerum fere omnium indigentia obstitisset. Mos fuerat ab initio, quem Salvattierra, legumlator ad Californios, instituerat, ut Minister quisque Indigenis, ab se instructis, victum humaniorem, quem nesciebant, et vestitum, quo carebant omnes, penitus ministraret: ne scilicet pastionis causa, belluarum instar per montes errarent, et sacram Fidem edoceri negligerent. Haec autem humanissima consuetudo, quam induxit, atque aluit eximia charitas; in iis tantum locis perdurare potuit, ubi aut infrequens erat populus, aut agri finitimi pro copiosa seminatione sufficiebant. Ubi vero ea multitudo confluebat, pro qua sustentanda, nec a Ministerii proventibus, nec a terrae fructibus abunde haberentur cibaria; utique pro cultu corporis omnia illis Minister suppeditabat; sed eos alebat duntaxat, qui sive a muneris exercitio digni erant, sive aetatis, aut valetudinis ratione providere sibi non poterant. Ita quidem Ministri sumptibus victitabant, tum indigena dignitate primus, cui civilis quaedam

supra

supra suos populares tribuebatur auctoritas; tum Aedituus, qui et Sacras curabat Aedes, et, ne institutis pietatis exercitiis Neophyti deessent, invigilabat; tum infirmi, senecta invalidi, pueri, puellaeque a sexto aetatis anno ad duodecimum. Caeterum iis consulebatur potissimum, qui ut nomen Christo darent, Sacerdotis Magisterio se commiserant: quibus profecto a primo statim doctrinae die victus erogabatur, donec edocti affatim mysteria, et sacro abluti fonte, se se firmos, et constantes in nova Fide probavissent. Id moris cum inolevisset per universam Californiam, maximopere dolebat Victorianus, quod, pluribus ad se venientibus, et Christi legem edoceri postulantibus; omnes quidem desiderio amplectebatur; extremae vero egestatis causa, paucos poterat sustentare, paucos alterne in Divinis rebus instruere, paucos etiam donis mitiores facere, atque ad ovile Evangelicum invitare. Nihilo tamen secius, ea fuere charitatis industria tum ille, tum Sacerdos contubernalis, ut paucis potuerint mensibus, ad ducenta capita e mali doemonis potestate auferre, ac Deo lustralibus aquis conciliare.

Crediderant initio, minus incommode in eo constituros loco, ubi propinqua, modica licet, planities erat, Calannusueto rivulo adaquata, quae reddere posset sufficientia pro Ministris, atque indigenis, alimenta. Proinde a primis illico diebus, agri seminationi dedit operam Victorianus: et increvit quidem frumentum ad exi-

 guam

guam altitudinem; paucis vero post diebus, cum tota irrigati soli superficies inopinato candefieret, siccari repente segetes, moestam rerum faciem apparere, conceptam spem messis omnino decidere. Acidis nimirum aquis constat rivulus, quibuscum admixtae, concorporataeque dilabuntur quamplurimae chalcanthi particulae. Ad haec, experimento noverunt, nullum penitus esse locum pro pascendis equis; quibus omnino indigebant tum Ministri, qui saepius ad infirmos longe positos vocabantur; tum etiam militum aliquot inibi loci necessaria statio; cum essent e regione indomitis barbaris. Linckius quidem, quem Borgiae Fani Ministrum diximus ad septuaginta circiter milliaria, novi pagi penuriae opitulaturus, pecudum aliquantum gratuito dono miserat; frustra tamen mittebatur donum, nisi gratius etiam pastioni solum mandaretur. Utique post varia nequicquam tentata pro pastu pecudum loca, consultius tandem credidit Victorianus, illas Linckio restitui; ne diutius vitam agerent difficillimam, quae ad eum usque diem famis tormento restiterant. Praeterea cum ad duo fere milliaria, nulla prorsus aqua inveniretur, quam bibere possent homines, hanc procul adeo comportari, maximi sane habebatur incommodi. Alio igitur transmigrare, novo domicilio locum perquirere, ac res omnes ingenti hactenus opere paratas denuo movere, necessarium omnino judicatum fuit. Enimvero tot, tantisque difficultatibus, quae procurata in animorum salutem auxilia retardabant, im-

impavidam opposuit Victorianus animi fortitudinem. Hac in humanis una, et Divina maxime potentia suffultus, bellum quidem ut ingratae soli naturae, sic etiam infesto doemoni aeternum decrevit; atque ut conata perficeret, in promovendis indigenarum bonis, et Christiani nominis ampliandis finibus, omnem aleam experiri constituit. Quocirca per abruptos montes, per arenosa aequora, per avia, et intuta itinera, per ignotos, et male suspicantes homines ad exteri cujusque conspectum; errabat ille securus, attento explorabat oculo, indefesso perquirebat opere, ubinam posset commodiorem pagum, novum sanctae Fidei propugnaculum, nomini Christiano confugium, excitare. Interea Sacerdos alter, cujus contubernium Victoriano erat sola quidem in mortalibus, et ea optima, pro tantis laboribus recreatio; graviter coepit decumbere, atque ejus valetudo impar oneri gravissimo demonstrari: ut tandem ex Superioris imperio, quanquam illacrimantem, et reluctantem, ab Apostolatu illo propediem avelli opus fuerit. Unum Victorianum satis esse Superiores existimarunt, cujus praestanti opera, et nota jam animi magnitudine staret illa inter naturae difficultates, et res inopes immensa provincia.

Et profecto tantae de se Superiorum existimationi peregregie satisfecit: nullum enim cum intueretur apud se, quicum ultra partiretur curas, totus erat ille unus in erudiendis nova Fidei nostrae cognitione indigenis, qui ad

sacrum fontem flagitabant accedere; in excolendis, confirmandisque assiduo sudore, qui recens accesserant; in condenda, et a fundamentis formanda communitate non modo Christiana, verum etiam civili, ex incultis hominibus, qui nudam, et informem naturam portantes hominum, ultro semet instituendos illi tradiderant; in annunciando etiam hispana lingua Dei verbo militibus aliquot, qui ob propinquos barbaros apud se morabantur praesidii nomine. Interea vero desistere ab incepto peregrinationum labore non poterat: et jam itinera, ingentibus quidem aerumnis incassum perpessis, nunc ad duodevicesimum milliarium, nunc ad quartum supra vicesimum, huc ad quadragesimum quintum, illuc etiam ad sexagesimum circiter confecerat, loca circum attentis perlustrans oculis, ut, ubi opportunum esset, mansionem decerneret. Dum iis, Apostolo plane dignis, defatigationibus intendebat, repente nuntiatum est, a barbaris quibusdam clanculum initam societatem, ut in Christianorum finitimum vicum furore hostili populabundi excurrerent, ibique ad internecionem insaevirent. Probe noverant illi barbari, paucos milites, et eos quidem imparatos, facile occidi posse; atque oppido facilius circumveniendum sacrorum Ministrum, cujus domus nullis custodita foribus, cuilibet ingredi volenti patebat; qui etiam binis duntaxat pueris contubernalibus utebatur. Ea vero ratio ferebatur, cur in crudele cogitatum devenissent: quoniam puellae nonnullae, quas insano illi deperi-

peri-

peribant amore, a doemonis imperio ad Christianam institutionem desciverant. Ad ea Victorianus non agitari intrinsecus, non palam trepidare, non fugam capessere; sed tranquillo vultu, comparatis utcunque rebus ad prudentiae leges, atque auxilio Numinis implorato, qua coeptum erat, insistere: nec, quoniam certo intelligeret, paratam sibi mortem, pallere idcirco visus est, nec omnino formidavit, quoties per medios ipsos transire barbaros necessitas postulabat. Nihil autem hostile sive in eum, sive in ejus praesidii milites a conjuratis effectum: cum enim nefarii homines (Deo nimirum Christianae rei favente) finitimas alias tribus nullo pacto adducere potuissent, ut in causae communionem venirent; ipsi, nullo auxilio, non ausi sunt horrendum facinus experiri. Caeterum praeconceptam rabiem in popularem quemdam effuderunt; quem lustralibus aquis initiatum, forte ad illos adventantem conati sunt interficere; quanquam irrito conatu: illi enim misero, aperta cognati praesentis ope, feliciter elabi datum est. Id etiam cum in Victoriani notitiam perveniret, secum cogitabat anceps; quid agendum, ut nefariorum fraenaret impetus; ne forte, quod tunc non potuerant, semel et iterum tentarent, qui in Christiani nominis perniciem conjuraverant. In haec indigena, cui ut magnanima strenuitas, et prima in suos auctoritas, ita etiam mira erat benevolentia in sacrorum Ministrum: *Nihil dubita*, inquit, *o Pater: quoniam ego senos e mea tribu fortiſſimos*

viros, ab infensis illis repetitum poenas, mittere maturavi. Et profecto sex illi homines vel virtute, vel temeritate incredibili, Tribum totam hostilem, et eam quidem numerosam, repente adorti sunt; et caeteris inopinata oppugnatione perculsis, celerique fuga saluti consulentibus, pene sex integras familias abduxere secum captivas. Qui nuntius victoriae venit ad Christianos, attulit etiam, bellatores illos cum captis hostibus ad Sacrum Ministrum iter properare. Victorianus, quo prorsus inscio, res tota gesta erat, omittendum non censuit, suo sibi beneficio habere obstrictos eos, qui captivi veniebant, ut ipsos donaret Christi libertate. Ad ejus conspectum vix delatos, blandissime allocutus est, et carnium dono, in ea rerum inopia magni habito, liberaliter tractari imperavit. Inde digressi, Praefecto militum jubente, conjiciuntur in vincula; post parvam vero temporis intercapedinem, ad Praefectum Victorianus misit oratum, ut, punito levissime captivo, qui scelere primus fuisse intelligeretur; caeterisque remissa poena, cunctos abire domum liberos pateretur. Quibus precibus cum omnino Praefectus annuisset, novissentque illi Victorianum tantae auctorem clementiae, ipsorumque libertatis assertorem; ad eum continuo se vertunt, gratias pro merito relaturi. Et ipse humanissimis exceptos verbis, ad immanis facinoris cognitionem paulatim deduxit; nec omisit arripere occasionem ultro sibi oblatam, disseminandi notitiam de Christianae Fidei necessita-

sitate. Quanta est virtus comitati, si cum hominibus agas, etiam illis, qui rudem, et informem naturam nihil artibus excoluerunt! Ad Victoriani verba confestim illi barbari, una omnes voce, testati sunt, sacro se velle Baptismate lavari aliquando; diutinamque, ac voluntariam apud ipsum mansionem, sincerae voluntatis pignus interposuerunt.

Inter haec totam jam a sinu Californico ad mare usque Pacificum regionem exploraverat Victorianus, neque locum invenerat figendo pedi commodum. Sed cum nulla ultra spes affulgeret magis idoneum reperiendi, planitiem tandem elegit juxta rivulum, quem Cabujacamam dixerunt Indigenae, gradu trigesimo primo borealis latitudinis, ab sinu Californico ad milliare duodecimum; ad sexagesimum circiter ab litore adverso. Erat planities, quae pro seminatione adjacebat, ad mediocris horti magnitudinem, et solo quidem nitroso; sed quod aquae bonitas facile disponebat, ut cum foenore semen restitueret. Atque ita profecto fidele restituerat, quod frumentum, et gossipium supremo anno Victorianus ipsi crediderat. Novum loco nomen inditum Sancta Maria, quod memoriae tributum fuit Mariae Borgiae, illustrissimae foeminae, cujus opulenta liberalitate, Christianae rei apud Californios benevola maxime, duo jam erecta fuerant, atque alia supererant erigenda inibi gentium Sacerdotia. Excitata hoc in loco fuere parva tuguria instar castrensium, abunde materiem praebente palma-

rum

rum frequentia, quarum e caudicibus mutuo nexis parietes formabantur, e frondibus vero tanquam tecta fornicata. Quae quidem casae praeterquamquod incommode tegunt habitantem, sunt etiam receptacula viperarum, quibus abundat peninsula: folia enim palmae pro latibulo amant serpentes isti, qui dormientibus juxta illos caudices apertum vitae periculum nunquam non offerunt. Nova ibi sudorum materies Victoriano, in Tribuum illarum, apud quas recens domicilium posuerat, natura, et moribus cognoscendis; etenim cum et Christiani ad barbaros, et barbari ad Christianos propinquitatis jure vicissim transmearent, ac mutuae inter se inirent amicitiae commercium, atque ex hoc (quod erat maxime expetendum) assidua se daret amplificandae Christianae religionis occasio; necesse prorsus erat, ut homo Divina exaestuans charitate, cui cura potissimum erat, coelo animas aucupari, exploraret industrius hominum ingenia, et sacra, et omnem vivendi rationem; ut se facilius in ipsos insinuaret, ac suavitate delinitos ad bonam frugem converteret. Nec diu fuit, quin intelligeret, cuncta his esse propemodum eadem, quae caeteris ad eam diem cognitis in boreali parte Californiis: nimirum ingenia mansueta, liberalia, tractabilia; nullis gubernari legibus; uni familiam quamlibet, tanquam capiti, obedire, aut potius ipsum more pecudum sectari; plures in unam Tribum convenire familias, quae de communi sententia et errabant, et considebant, et pacem, et bellum

cum

cum finitimis agitabant; nulla penitus ipsis esse Sacra, Sacerdotes nullos, nulla religionis vestigia, nullum cultui simulacrum, nullum Numini tributum, nisi hoc nomine appellare quis velit suspiria quaedam, et obtutus ad coelum conversos in afflictis rebus pro spe subsidii. Quibus a Victoriano cognitis, in fiduciam erectus est, ac nullum inde non movit lapidem, ut Christiana suscipere Sacra inducerent tandem in animum. Et primo quidem ad Christianos venientem quemlibet humanissimis praevenire verbis, muneribus colere, ac sibi ad benevolentiam conciliare, paulatimque de Christi Fide verba nonnulla facere, quasi semina suo tempore fructus emissura. Et qui tanta fuerat exceptus humanitate, ad suos inde reversus, comiter se habitum a Sacrorum Ministro, mira voluptate narrabat, et quae ab illo acceperat, et quae audierat, in propinquos omnes propagari gaudebat. Ita in dies adaugebatur venientium numerus ad Christi cultum suscipiendum: qui sane, postquam sanctae Fidei capita probe tenere constabat, ad Ecclesiae ovile conscribebantur. His Christo conciliatis, alii nulla mora se se Ministro praestabant in mysteriis erudiendi, et salutares aquas efflagitabant. In hac perpetua Sacrorum schola Iubentissime Victorianus Dominicam Vineam excolebat, nec ulli vel diurnae, vel nocturnae defatigationi parcebat, ut aeternae miserorum saluti consuleret. Ac suffecisset unus ille proquamplurimis postulantibus doctrinae sacrae cognitionem, si magnanimus homo voluntati pa-

res

res habuisset facultates. Verum annonae penuria maxima, parque rerum omnium inopia, inter angustias fuit gravissima, quibus viri hujus praefervidi exercebatur patientia. Et hinc etiam injusta indigenarum lamenta, et rumusculi: cum enim aut suismet oculis vidissent, aut popularium sermonibus intellexissent, ab Sociis alibi sacrorum Ministris liberali charitate munuscula erogari inter suos; minus diligi se a Victoriano, idcirco perperam arguebant, quod rarius ab illo acciperent, ac sumptibus ejus pauciores alerentur. Nihil profecto animadvertebant, miserrimam et ipsum Ministrum vitam agere; patere omnibus, quae vilissima manducabat; nunquam illum conquiescere a desudando in ipsorum emolumentum; nec temperare sibi posse a distribuendis inter ipsos, quaecunque possidebat. Nec indigenarum solummodo querimoniae audiebantur; sed militibus etiam aliquot (qui scilicet ad ingentes eos labores, non a Divino Spiritu vocati pro salute gentium, sed ultro lucri causa, convenerant) sane peracerbum erat, in eo, ingrato quidem, et sterili orbis angulo, vitam agere solitarios aegerrimam. Omnia superabat fortissimus vigor, et invicta mansuetudo Victoriani, nunc blande hortantis, nunc, ut opportunum credebat, conniventis. Atque his tot adversis nihil obstantibus, eo jam devenerat paucis mensibus, ut Christiano ritu abluerit capitum ad tercenta, in quinque turmas divisorum. Harum princeps, in qua ad quindecim numerabantur familiae, recens conditum Sanctae

Ma-

Mariae Fanum incolebat; caeterae, per tractus dispersae finitimos, ut Divino Sacrificio interessent, atque in Fidei rebus confirmarentur, alterne ad Victorianum accedebant; sua unicuique turmae designata hebdomade, qua in Sanctae Mariae Fanum convenirent. Nec omittebat sedulus Minister ad proprias ipsorum casulas interdum contendere, vel aures pro poenitentia daturus infirmis; vel duntaxat visitandi gratia, quotiescunque suam apud eos praesentiam expedire odoraretur. Triginta omnino reliqui erant, quibus ad album Ecclesiae referendis operam praestabat alacer, ut Christi sacra condiscerent; cum inopinato audiit, Jesuitas omnes ab Hispanis terminis exulare.

Id rei acciderat Mexici, et in tota fere septemtrionali America, septimo Kalendas Julias, anno saeculi nostri post sexagesimum septimo. Californiae autem, cum trans mare esset, nec, nisi stato tempore, tumentibus illis undis committi possent navigia, longiuscule Socii duravere. Gaspari Portolao, Californiae Praefecto renuntiato, commissum fuerat in nova sua Provincia mandatum exequi Regium: qui Gaspar tempore navigationi non opportuno cum mare ingrederetur, bis ab ira Pacifici in locum, unde exierat, redire coactus est; ingentique procella, tertio navigans, agitatus, exeunte jam Novembri mense, portum tandem Californicum tenuit, quem Divi Barnabae appellant, juxta Sancti Lucae promontorium. Non is erat locus, quo dierum quadraginta cursu Gaspar con-

ten-

tendebat; cum autem Lauretanus portus, quem conceptis Mexicani Praetoris verbis imperabatur attingere, longissime abesset adhuc, nec nisi multo temporis intervallo, et summo vitae discrimine, per mare turgidum, ventumque adversum, posse illac accedere, periti rei nauticae testarentur; facile sibi persuasit, ratum habiturum Praetorem, sin minus ille ageret ex praescripto. Ergo ad litus navigio admoto, in terram exscendit, et vicum continuo petit propinquum, cui nomen Sancti Josephi ad promontorium. Ignatius Tirsius, Minister Sacrorum per eos tractus, vix primum novit insperatos hospites adventasse, obviam impiger accurrit, officiosam humanitatem, qua posset, a mari recentibus praestiturus. Et casu id temporis erat non longe Ferdinandus Rivera, Praefectus militum; qui a novo Praefecto vocatus, nulla facta mora, in illum contendit. Huic Gaspar nihil distulit sibi commissum patefacere imperium; atque ab ipso cum certior fieret, nullam ab Sociis difficultatem futuram, quominus tranquilli, et reverentes qualicunque Regis voluntati obsequerentur; pro immenso juxta, et perarduo terrestri itinere, sibi, ac suis militibus ephippiatos equos per litteras postulavit ab Socio, qui rem Californicam procurabat Laureti. Quinto decimo tandem Kalendas Januarias, anno saeculi sexagesimo septimo, Laureti pedem intulit Portolaus; ubi nimirum et militum erat statio, et certe commodissimus locus, in quem ex universa peninsula navigaturi confluerent.

rent. Et prima Praefecto fuit cura, confestim ad se accersere Socium, qui cunctis tunc praeerat Ministris in California commorantibus. Is erat Benno Ducruejus, qui et ipse apud sibi commissos Indigenas adlaborans, Guadalupiae Virginis Fanum incolebat, ab Laureto ad tercenta milliaria; unde statim ad Gasparem volavit, ut appellari se inaudiit Regio nomine. Ad Praefectum ingressus, decretum intelligit; extemploque litterae ad Socios universos a Bennone ipso signantur, quibus de re tota moniti, Lauretum sine mora jubentur convenire; atque insimul Portolai nomine ipsis indicitur, ut ad suos unusquisque verba faceret de quiete servanda, de novo rerum ordine patienter ferendo, de obedientia venturis Ministris omnino praestanda, qui Ministri erant e Franciscana familia, procelloso impediti aequore, quominus id jam temporis Californiam tenuissent. Utique totis viribus in id incubuere profecturi Socii; qui sane nullum tumultuose molientium indigenarum signum in discessu viderunt: una enim suppliciter ejulantium, manusque ad Superos tendentium, et suos Ministros, nomine unumquemlibet, triste ingeminantium, audiebatur ubique vox. Quod quidem nihil mirum est; cum et hos novissent jampridem charitatis vinculo sibi conjunctos, et ab iisdem omni fuissent tempore liberaliter habiti, et de rebus aeternis eruditi, et hominem cum homine vitam agere suavem, atque humanam edocti. Nihil vero dubitamus (quod a Supremo Numine deprecamur

vehe-

vehementer, amore nimirum ducti salutis Neophytorum, quos tantis doloribus Christo peperit Mexicana Sociorum Provincia) nihil, inquam, dubitamus, quin, probata novorum Sacerdotum charitate, lacrimae tandem miserorum aruerint. Uni Victoriano contigit in discessu, testem esse oculatum, quomodo ii, quos lustralibus intinctos aquis, recens eripuerat a mali doemonis potestate, pagum a se tot sudoribus extructum, continuo deserebant, atque in avia saltuum, unde venerant, obruti moerore ingenti revertebantur. Ille autem vultu tranquille subridenti, quali semper comparebat, in praesenti calamitate Deum adoravit, Regi obtemperavit, iter arripuit, Lauretum pervenit. Hoc eodem in loco, postridie Kalendas Februarias, congregati sunt Socii omnes, Ministri tunc temporis ibi gentium, unam, quam et intulerant, et animo coluerant, Evangelicam inopiam secum portantes ab sterilissima peninsula: margaritas enim, quibus ea litora nullus nescit abundare pulcherrimis, nec poterant illi quaerere, vigente inprimis Moderatorum Societatis praecepto gravi; neque vero piscandis interesse: ac profecto de istiusmodi humano emolumento nunquam omnino cogitavere Socii. Quae sane veritas, a quibusdam injuste derisa, ut manifesta erat omnibus Californiam incolentibus, ita et Supremo Judici mortalium nota est,

Tertio Nonas Februarias navim denique conscendunt, quotquot erant Socii ad Californios; et Victorianus, cui charitas ubilibet erat in deliciis,

litiis, infirmum hominem, ac destitutum viribus nactus est, quem omni ab se juvandum officio susciperet. Vivit adhuc, dum haec scribimus, ille vir, et grato testatur animo, quam sibi opportunum in sali jactationibus auxilium praestiterit Victoriani charitas. Laureto profecti, ad nongenta milliaria Matancelum appulsi sunt: dein immenso terrestri itinere tenuere Veramcrucem; ubi denuo maris introgressi pericula, post diuturnam navigationem, Hispaniam ad Gades contigerunt. Facile quisque intelliget, qualia per tot marium fluctus, per tot terrarum tractus, incommoda subierit illa exulum turba; verumtamen ne taedio simus in re saepius alibi enarrata, istis nunc supersedemus. Postremo solventes Gadibus, in Italiam adnavigarunt; ad quam cum prospero cursu pervenissent, Victoriano designatur commorationis locus Bononia in Pontificia ditione. Et hic laudandum illum vitae tenorem ab initio instituit, a quo per viginti ferme annos, quibus fuit superstes, nec minimum recessit. Quandoquidem revulsus fuerat a laboriosa vita in animorum salutem, in qua se, utpote vocatum Divinitus, postrema redditurum esse suspiria existimaverat; animum convertere ad beatae solitudinis otium, unique Deo meditando posthac vivere decrevit. Comi semper, atque hilari vultu quemcunque excipiebat ad se venientem Socium; caetera, procul ab humanis curis, in cubiculi tenebris ultro latebat, unum suae testem virtutis habiturus Deum: ne videlicet, thesaurum publice portans in via, depo-

pulationi pateret. Mire constans in ea vitae obscuritate; Sociis omnibus charissimus; despectui habitus uni sibi; Societatis praeceptionum religiosissimus cultor, ad annum septuagesimum tertium saeculi excurrentis pervenerat; cum, novis a Deo tentatus cruciatibus, aliud ad coelos iter, abruptum illud quidem, salebrosum, et plenum tribulis, edocetur. Et primum is ille fuit annus, in quo tertianae febres, ad annum fere obstinatae, molestissime valetudinem ejus afflictarunt; a quibus febribus quanquam convaluit aliquando; nunquam tamen (quod mox videbimus) per tria reliqua vitae lustra, pristinae sanitati restitutus est. Solet hujusmodi morbus, cum pertinaciter haereat, infirmum reddere impatientem, difficilem, morosum, atque in quotidiana consuetudine tetricum; Victorianus autem privilegio patientiae, quam diuturno exercitio comitem sibi comparaverat individuam, eodem aegrotabat vultu, quo sanus fuerat, semper modeste hilaris, et Christiane tranquillus. Haud absimili serenitate vultus visus est, cum repente inaudiit, eversam imperio Pontificio Societatis familiam. Continuo charissimam sibi vestem, quam ad annos viginti circiter portaverat, cum Sacerdotum, quos vocant Saeculares, insigniis obedienter commutavit; eosdem tamen ad mortem usque servavit mores, eidemque constantissimus haesit, quam in illa sanctam didicerat disciplinam. Doluit profecto Societatis excidium, quam sibi juvenis Parentem elegerat; cujus doctrina, et institutis in virum

per-

perfectum adoleverat; quam ut laetis diebus, ita et nubilo tempore secutus fuerat; caeterum, ne in querimoniam erumperet vel minimam, debita erga Pontificis potestatem reverentia dolori praevaluit. Post biennium ab Societatis interitu, valetudinis recuperandae causa Bononiam cum deseruisset; idem Viterbii primum, Romae deinceps comparuit, modestus, animo demissus, in aegritudinum vexationibus mirifice patiens, in faciendo quotidie ad aram, dum per morbos id licuit, religiose fervidus, ad sacras aedes reverens, atque assiduus.

Et haec de externa Victoriani vita, quae vitare testes omnino haud poterat; intus autem quantus fuerit virtutibus, quas a conspectu mortalium solicite occulebat hominis temperantia; plura intelliget conjiciendo, qui scripta haec legerit; nonnulla hic libabimus, quae a fido ejus ad plures annos contubernali venerunt ad nos; alia vero, et ea quidem praecipua, uni suspicamur Deo nota, cui nullum non apertum arcanum. Mirabilis admodum fuit ejus constantia in ea semita virtutis, quam juvenis adhuc toto animi fervore sibi tenendam instituit. Franciscus Montesius, vir praeclara pietate, Tironum olim ad Hispalenses Moderator, postmodum Generali Societatis Praeposito pro Sodalibus Hispanis Assessor, magnopere aestimavit novitii Victoriani virtutem; quem cum postea Romae conspicaretur, ac tot jam annis delapsis, talem intelligeret Sacerdotem, qualem ipse tironem noverat, affabilem, tran-

quillum, modestum, demissum animo, praefervidum: *Eam enimvero*, apud alios ajebat, *religiosam hominis constantiam demiror potissimum*: proindeque ipsius ad Deum precibus assidue se se commendabat. Constantissime prosecutus est acerrimum illud bellum, quod ab religiosae vitae infantia tum suo corpori, tum animi sui affectibus generosus indixerat: adeo quidem, ut ingenio fuisse praefervidum, nullus certe crederet, nisi testaretur Socius ille, ipsi ad tot annos in arcanis intimis familiaritate conjunctus. Eadem fuit constantia in colendo, et nulla non opera tuendo castimoniae flosculo, qui florebat perpetuo virens, atque odorem ubique fragrantissimum spirabat; quam profecto caeteras inter ejus virtutes praecipuam appellare nihil dubitat Socius alter, quicum ipsi fuerat ad longam annorum seriem sanctae amicitiae consuetudo. Utique videbatur, aut non carnem secum ferre mortalem, aut certe creatus a Numine in eo ad castimoniam temperamento, ut sine periculo vitam ageret inter nudos Californios. Ab eodem erat constantiae fonte amor ille nunquam interruptus in Deum humanitate nostra vestitum; in cujus adorando beneficentissimo Corde, singularibus deliciis conficiebatur: juvenis adhuc sacramento se obstrinxit, sexta quaque hebdomadis feria in ejusdem Cordis obsequium Pane se reficiendi Eucharistico. Post Deum hominem, Matrem ejus Virginem tenerrimo venerabatur affectu; cujus cum adventarent solemnia, preces iterabat ferventes,

plu-

pluribusque macerationibus, et voluntaria inedia benevolentiam sibi tantae Dominae comparabat. Eadem illa constantia firmissime stabilivit in homine, quam a primo vitae perfectioris initio vilem admodum de semet conceperat opinionem: quo nimirum solido fundamento jacto, praecelsam illam superstruxit sanctitatis molem, nulla temporum injuria, nullo mali doemonis astu, nullis aut carnis illecebris, aut animi cupiditatibus deturbandam. Eodem etiam fundamento immota constitit ejus Fides, qua tremebat in conspectu Dei, quem religiosissime adorabat, et cui nihil unquam vacillans credebat, sive in Divino Codice, sive in Ecclesiae voce loquentem audiret. Immota fuit pariter Christiana ejus Fiducia, qua nullus dubitabat; a Deo, qui justus est, tentandum se juxta vires mortalitatis duntaxat, et opportunum cum tentatione venturum Divinum auxilium, et pro certamine coronam ab aequo Judice retribuendam.

Illae autem omnes virtutes ab exaestuante in Deum charitate descendebant, qua sane nobilior nulla est, nulla major, Apostolo Paulo teste. Jam a tenera aetate, cum unius Dei mereri stipendia in religiosa familia constituit; illum etiam unum amare decrevit, atque unius ejus voluntati, dum viveret, adhaerere. Profecto hanc unam secutus est, atque uni Deo placere quaesivit per vota religiosa, per tot terrestria itinera, per ingentia marium discrimina, per naufragium, per sudores, per calamitates,

 per

per exilium, per non interruptam inopiam, per affectam tot annis valetudinem, per mortem ipsam singulari fortitudine, ac tranquillitate susceptam. Socius ille, cujus individua familiaritate ad plura lustra usum esse demonstravimus, haec ad me aperte testatus est: *Toto illo contubernii tempore, nullius reum noxae Victorianum vidi, quam scilicet prudens, et sciens admiserit; neque vero, si universus orbis ad interitum rueret, levi in Deum culpa conscientiam suam maculavisset*. Quam salutarem voluntatem ne decursu temporis (qua sumus fragilitate mortales) immutaret; quotidie mane, dum per valetudinem licuit, Divinis meditationibus ex Societatis constituto dabat operam; ut etiam ante prandium, et post coenam in omnia diei acta inquirebat; nec omisit ad mortem usque secum ipso in judicium venire de affectu quovis in animum dominante. Id enimvero de statutis precationi, et sui judicio temporibus, quae praeterire nefas duxisset: caetera quippe in Deo cogitando, interdiu, noctuque totus erat; quicum, instar filii cum Patre, familiariter agebat, quem consulebat in dubiis, a quo flagitabat opem in adversis, cui gratias referebat in prosperis. Inde illa sereni vultus miranda aequabilitas, utcunque se res haberent, atque orbis, Deo connivente, ad arbitrium hominum volveretur. Hanc eamdem charitatem adaugere procurabat, ad aras quotidie faciens intentissima pietate: quod Divinum Sacrificium sincere amantibus Deum salutare fomentum amoris est,

et

et suavissimae deliciae, quibus illi antecapere videntur gaudia beatae aeternitatis. Propterea gratissimam hanc Hostiam Numini oblaturus, ad fervidam pietatem, religiosam gravitatem, atque externam modestiam componebatur. Nunquam annum elabi passus est, quin daturus operam totos octo dies Divinis commentationibus, ab omni mortalium commercio ad dulcissimam secum ipso recederet solitudinem. Quo sane tempore, quali esset fervore in aeternis cogitandis, quantoque inflammaretur amore in secretis illis cum Numine colloquiis; fidem faciunt scripta, quae suamet manu per eos dies exarabat, ac post ejus mortem inventa sunt: in quibus profecto scriptis ea legitur virtutum perfectio sibi proposita, quam paucis mortalibus, iisque Divino prorsus amore incensis, attingere datum est. Et hic nimirum amor Divinus origo erat charitatis in homines, qua commotus, atque oppido agitatus, desudavit, dum licuit, in bono ipsorum procurando. Minister Dei constitutus, nihil sibi non tentandum existimabat in illorum emolumentum, quos ut erudiret, humanam naturam induerat; quos, effuso etiam sanguine, jure donaverat ad coelestes incolas adscribendi se se. Aliorum difficilia ingenia mire emolliebat Christianae suavitatis oleo; nec unquam in domestica consuetudine impetum impetu repellere visus est. Quantum pro viribus poterat, officium praestabat indigenti cuilibet, sive stipem pauperi, sive consilium erranti, sive afflicto consolatoria, sive

 blan-

blanda verba succenso iracundia. Etiam ad vita functos generosa ejus charitas perveniebat: illos enim, qui futuri postmodum coelestes incolae, igne expiantur temporario, assiduis ad Deum precibus commendabat; quin imo ipsorum utilitati liberaliter concesserat, quidquid satisfactionis per bona quaevis opera ipse pro semet in hac mortalitate posset aeterno Judici exhibere.

In Christiana tolerantia heros fuit strenuitate mirabili. Erat in se ipse durus maxime, ac severus; et vehementer desiderabat in suum corpus macerationibus insaevire. Caeterum Supremus hominum Dominus, cujus nutu et Petrus ad Judaeorum Principes mittitur, qui fidenter confiteatur Christum Deum; et Paulus alibi segregatur, qui Jesu nomen inferat ad Gentes; et Simeon in columna longe esurit, orat, ac de coeli intemperie triumphat; et Lyduina duodequadraginta circiter annis in cubili jacet infirmitatibus macerata; et Alcantara diuturna austeritate corpusculum affligit; et omnes pro suo quemque merito Judex coronat; hic idem, inquam, Dominus ingentem etiam Victoriano dedit tum patientiae, tum coronae rationem, alia tamen semita, quae decreta aeternum illi fuerat. A tertianis illis febribus, quas memoravimus, nulla postmodum illuxit dies, in qua bono frueretur valetudinis restitutae. Id tentabat ex Medicorum consilio, num Viterbii, num Romae salubriorem aerem experiretur; cum repente, anno exeunte decimi octavi sae-

culi

culi octogesimo, flumen sanguinis e pectore vomuit; adeo ut, instante mortis discrimine, quam festinanter ventum sit ad extrema Ecclesiae remedia. Neque multo post proximitas evanuit periculi; quae tamen insequenti toto anno saepissime rediit; cum corpus exangue, ac pallidam in maciem confectum, identidem urgeret morbi ejusdem impetus, alius ex alio, et semper posterior anteriore validior. Cui lethali morbo cum et alii complures, aut pedisequi, aut natura penitus diversi, adjungerentur; eo jam res devenerat, ut lugubrem propinquae mortis adventum per totos octo annos oculi continenter adspicerent. Obstupescebat inprimis Medicus, atque instar miraculi existimabat, hominem ea corporis constitutione, nihil interruptis tot annos doloribus obrutum, tot novis accessionibus impetitum, animam jampridem non efflasse. Neque vero cum corporis duntaxat cruciatibus Victoriano res erat: quippe id etiam temporis tum permolesto scrupulorum angore, tum coelestis irae servili quodam metu afflictabatur. Per eos pariter dies cum alibi transveheretur variandi coeli gratia, in hominis potestatem venit, qui miserandi aegroti patientiam multis nominibus exercuit: ut omnino videretur, hac eximiae tolerantiae via coronam aeternam Victoriano destinasse Deum. Ad haec, extremae inopiae incommoda comitabantur hominem: et quanquam cederet illi e sententia, pauperem esse pro Christo; diuturna tamen infirmitas graviores impensas neces-

cessario exigebat. Ab his aliquandiu abstinuit, et sua quidem sententia nunquam non abstinuisset: nisi enim haec hominis inopia casu venisset in Sociorum notitiam, qui confestim egenti opitulati sunt; ille certe ad silentium obstinaverat. Interea res erat mirandi exempli, Victorianum adspicere, qui, tametsi fractus viribus, afflictus animo, vexatus doloribus, excruciatus paupertatis tormento; nihilo tamen secius, ad se venientes excipiebat vultu ad hilarem serenitatem composito. Senex quidam, Socius olim ad Paraquarenses, vir magni meriti, et doctrinae, cum assiduus illum conveniret; mirari se maxime, testabatur postea, in tanto dolendi argumento tam constantem, tam magnanimam tolerantiam. Neque modo patiens, et lubens ferebat, quae sibi adversa contingerent; quin imo cruciatus quoslibet sive animi, sive corporis, tanquam peculiaria miserentis Dei beneficia amplectebatur. Atque ea propter cum in Divi Joannis Evangelistae solemnibus primam habuisset morbi accessionem, cui post annos aliquot tandem succubuit; singulari postmodum amore, cultuque Divum eumdem prosecutus est.

Pridie denique Nonas Apriles in febriculam incidit: quam profecto, licet ad speciem levis esset, cum tamen pertinacissime inhaereret, malum omen arbitratus est Medicus; eo praesertim, quod purulenta sputa animadverteret, rursusque erupturi ab ulcerato pulmone sanguinis indicia suspicaretur nonnulla. Ergo

mi-

Digitized by Google

ministrandum illi pro viatico ad aeternitatem Numen Eucharisticum, opportuno tempore decrevit. Mire laetus excepit haec nuntiantem Victorianus, qui cum jampridem, causa prostratae valetudinis, ab hoc sacro abstinuisset alimento; ingens toto illo tempore desiderium nutrierat, coelesti se dape reficiendi. Venit tandem hora, quam longe suspiraverat; nullaque formidine conspexit ad se venientem Jesum, Medicum ad aegrotum, Creatorem ad creaturam, justum Judicem ad proxime donandum merita tot annorum famulatu corona. Tanta inflammatus cogitatione, inter ferventissimos amoris affectus Hospitem coelestem excepit, et statim Divinae voluptatis pelago immersus est. Ad horam totam, eoque amplius, incredibile gaudiorum profluvium, quod cordis angustiae capere prorsus non valebant, foras erumpebat in lacrimas, quas quidem nulla vi poterat ab oculis exsiccare: ut omnino timerent, qui plures ad hanc religionem confluxerant, mortem illi prae gaudio maturandam; et palam omnes conspicerent, quod his ipse conceptis verbis pronuntiabat: *Amplius resistere non possum laetitiae inenarrabili, nec unquam in hac misera mortalitate, hujusmodi suavitas, omnino ineffabilis, in meum animum introlata est*. Nullus ibi adfuit, cui certa non esset sententia, viro illi probo, tantis undique malis continenter tentato, praegustandas dedisse Deum coelestes delitias, ad quas erat proxime arcessendus. Utique post dies aliquot visum est, pro-

pin-

pinquae mortis periculum evanuisse; caeterum supervenientc alvi fluxu, atque inde postrema virium destitutione, postulatis ab ipso, et summa cum pietate susceptis postremis religionibus, prope noctis concubium, sexto Idus Junias, anno saeculi praesentis duodenonagesimo, placidissime tandem vivere desiit, bonam sui relinquens memoriam ut Sociis omnibus, ita et Romanis nonnullis, qui tot annos invicta patientia aegrotum, aliisque virtutibus illustrem demirati sunt. Elatus est in Aedibus, quibus nomen a Jesu, Sociorum olim Romae praecipuis. Invidendum quidem hominem! qui vitam cum egisset innocentia laudabilem, et ingentibus pro Christo aerumnis admodum laboriosam; ante discessum a misera mortalitate pervenisse visus est ad beatae aeternitatis coronam.

JOSE-

JOSEPHUS VALLARTA.

INgentis meriti virum tum ab ingenio clarissimo, tum a pluribus animi virtutibus, tum praesertim ab ingentibus, et assiduis cum suamet natura difficili, et pugnaci praeliis, ac de illa victoriis, Josephum Vallartam intime novimus, atque inter prima Mexicanae Societatis nomina venerati sumus. Mirabilis nimirum Deus! qui juxta affabiles, atque severos, conniventes, atque pugnaces, mites, atque iracundos, ad excelsam vitae sanctimoniam extollit! qui nulli mortalium conditioni non misericors est, ac beneficus! cui peccata non sunt defectus illi naturae infelicius temperatae, quibus homines offendimur, ac delicatuli nauseamus! Angelopoli primae nobilitatis Parentibus ortus est Vallarta XV. Kalendas sextiles, anno 1719. Pueritiam egit ingenuam, et inculpatam; iis deditus religionibus, quae puerorum optime institutorum animos ad solidam virtutis fabricam sensim alliciunt. Excellentiam, et fervorem ingenii jam tum, cum grammaticis elementis dabat operam, demonstravit; atque adeo semper in primis honoribus, Magistrorumque benevolentia, et laudibus adolevit. Doctorem audivit in philosophicis artibus Xaverium Lazcanum, eximia doctrina virum, saepius a nobis obiter memoratum, tametsi nunquam ex

meri-

merito praedicatum: in cujus Lazcani nomen, et plausus, et lauream, et munera, ut videbimus, Vallarta postmodum suffectus est.

Sexto Kalendas Novembres, anno 1734, aetatis inchoato decimo sexto, cooptatus ad Socios, vitae religiosae initium Tepotzotlani dedit: ubi cunctas fervidi tironis, et pietate laudabilis partes biennio toto cum explesset, ac tria vota de more nuncupasset; politiores litteras avidus arripuit, Ignatio Quinglesio, viro Siculo, atque ab his litteris laudatissimo, Praeceptore; ad quarum elegantias proclive cum haberet ingenium, in hac ipsi laude Musae tunc arriserunt, et postea maximopere faverunt. Nec tamen in his erat praecipua Vallartae adolescentis gloria; nam post haec Theologicis cum incumberet, tam egregios illico progressus explicuit, atque eam tum doctrinae abundantiam exprompsit, tum mentis admodum singularis laudes promeruit, ut ad haec maxime studia natus esse videretur. Fuerunt illi a natura dotes, ut quaestiones inquireret, in bono lumine proponeret, feliciter enodaret, ac rationis trutina ponderaret: quas profecto dotes usu, atque exercitatione colere, mirabiliter constans in charissimis habuit. Ut tamen maxime delectabatur, quoties argumentari sibi contingeret, sic ejus ingenii vis hoc in genere potissimum excellebat. Incredibili erat efficacia, celeritate, ac robore, ut responsa refelleret; syllogismis utebatur omnino brevibus, et limpidis, et qui adversarios instar fulminis exterrebant; quidquid

oppu-

oppugnandum assumeret, tam alacer, et strenuus rationis nervos, vel qui hos imitarentur, intendebat, ut aegerrime te defenderes. Virum audivimus Magistratibus gravem, doctrinaeque non expertem, qui apud nos asseverare non erubuit: *Se philosophiae Magistrum nunquam non formidasse Vallartae syllogismum, quoties hic, adhuc juvenis, in privatis prolusionibus argumentaturus, ut tunc moris erat, ad philosophiae gymnasium accedebat*. Anno Theologiae tertio, Majores Divinae Scripturae theses Vallarta propugnavit, summis quidem omnium laudibus praedicatus ut ab exprompta de sacris libris doctrina, dexteritateque in difficultatibus enodandis, ita etiam ab latino sapore, venustaque facilitate dicendi ex tempore, illo quidem sermone, quem non cum primo lacte condidicerat. Non enim syllogismis in his majoribus Divinae Scripturae Thesibus agebatur: nam cum res ipsa maxime postularet interpretandi copiam, atque eruditionem; utrinque opus erat, vel argumentareris, vel propugnares, oratoria libertate.

Designatus ad Magisterium, annum in Mexicanis tertiam grammaticae partem, alterum poesin tradidit, maxima quidem accuratione suo muneri semper data, nulloque non exhibito in pietatis rebus exemplo; sed austerus nimium, et plagosus, ut erat ejus indoles, in auditoribus instituendis; quos, perperam credebat, raro bene informari, nisi flagro, et virgis adductis. Ad sacros evectus ordines, atque honore cumulatus, ut ad diem totum in Mexicano Sociorum

rum Collegio, publicis Doctoribus de Theologiae, deque Juris Canonici scientia disputantibus responderet; in illud veluti gloriae suae factum theatrum, eam doctrinae praestantiam attulit, talemque quasi emeriti Magistri dexteritatem explicuit; ut summi plausus Vallartae nomini, nec certe ultra meritum, ab omnibus ordinibus excitati sint. Post annum renuntiatus Magister, qui Sociis adolescentibus latinas, et rhetoricas elegantias traderet in Tepotzotlanensi Collegio; summus ipse in his litteris, incredibiles adhibuit conatus, et numeris omnibus huic muneri gravissimo satisfecit. Cum enim in eo Magisterio locus non esset severitati, ac poenis, quibus alibi rexerat pueros, et postmodum gubernavit; solummodo suaves cohortationes, et nativam diligentiam, eamque mirabilem, adhibuit, ut suae curae commissa juventus in his disciplinis excelleret. Nemo Mexicanorum non novit Josephi Parregni praestantem eminentiam a purissimo, nitidissimoque sapore latini calami: et hic Parregnus, tunc Vallartae discipulus, post longam aetatem ad nos profitebatur: *quidquid in his litteris profecerat, totum se debuisse navitati, ac dexteritati, qua Vallarta suos eo tempore auditores excoluit*. Utinam et haec saniora consilia semper prosecutus fuisset, nec mentis errore deceptus, puerorum iterum Praeceptor, ad ingenii severitatem rediisset! Ad bina philosophiae Magisteria fuit inde appellatus, primum in Angelopolitanis, in Mexicanis alterum; utrobique laudatus, et specta-

etabilis a peripatetica doctrina, mirabilique ingenii celeritate, ac luculento splendore; nec modica exceptus cum celebritate, quoties in litteraria palaestra disceptator comparebat.

Ab his Magisteriis in Divi Ildephonsi Seminario Mexici collocatur, ut Theologis, et Jureconsultis alumnis (quorum erat magnus ibî numerus, et plures ingeniis lectissimis) praesideret. Nec ea tempestate id solum muneris, quanquam maximae gravitatis, et quod totum hominem posceret, vastissimam Vallartae mentem occupavit; sed onus etiam illi fuit injunctum, ut politiorum litterarum academiam, ante plures annos ibidem institutam, et quae temporum injuria defecerat, totis conatibus instauraret. Utrique muneri sedulam, et strenuam dedit operam homo irrequietus, et frugi, severaque vita, qui nunquam otio concessit inducias: et quo perenne porrigeret philologis adjumentum, quod instar fontis esset, unde faciles eloquentiam attingerent; venustissime fluenti stilo, et elegantia maxima contraxit rhetorica Latorris elementa, poeticam etiam artem, atque alia, quibus ad cumulatissimam humanioris litteraturae informationem nihil desideres: quae omnia clare, mirificeque ad omnium captum concinnata, Mexicanis typis ex Provinciae Praesidis facultate commisit. Quod opusculum, sane aureum pro eis artibus condiscendis, hac nostra aetate legerunt, et maximopere probarunt Bononiae litterati; ac praelis hujus urbis, omni tempore scientiarum Ma-

gistrae, cum denuo fuerit recusum, ad ejusdem normam eloquentiam edocentur publicarum scholarum auditores, quas Bononienses vocabulo suo Pias nuncupant, quoniam ad gratuitam puerorum educationem institutae sunt. Ab hoc munere mittitur in patriam, Mariani Sodalitii, cui Dolentis Virginis nomen erat, in Divi Ildephonsi Collegio Praefectus: unde post annum fere, Mexicum revocatus in Divorum Petri, et Pauli Collegium, Sacris Codicibus explanandis praeponitur, Magistri sui Lazcani successor, qui multos jam annos in eo Magisterio duraverat. Et hic tandem Vallarta functus est occupatione, qua jucundiorem, et naturae suae magis idoneam certe nullam excogitare poterat: nam et saepius venire in litterarias concertationes pro munere tenebatur, et hinc ei maxima delectatio; et magnam diei partem soluto curis omnibus, erudito recessui vacare tranquillissime licebat. Praeterea ob comparatum merito nomen in scholarum laude, quemadmodum cunctae Graeciae patuisse domum Isocratis, ajebat Tullius, quasi ludum quemdam, atque officinam dicendi; sic Vallartae cubiculum, quasi gymnasium quoddam, patebat Sociis omnibus, qui Theologiae dabant operam, sive illum de Theologicis rebus tanquam oraculum consulerent, sive latina opuscula, sive quaevis carmina, sive sacras orationes e suggestu dicendas, ipsius judicio committerent.

Haec sane possent litterarum cupidum, et boni publici maxime studiosum, et Societatis

aman-

amantissimum virum, in vitae beatitate, quam potest mortalis assequi, constituere. Caeterum Deus, qui Vallartam viis insolitis ad altissimam vitae sanctimoniam appellabat, perpetuam ei cordis amaritiem immisit, tum a fervida natura, tum ab oppido suspicioso ingenio, tum potissimum ab anxio, et perpetuo metu Numen in omnibus offendendi; qui sane metus toto mortalis ejus peregrinationis tempore nimium quantum, et interdum fere ad amentiam, miserum divexavit. Atque hinc in humana consuetudine tum aliis plerunque molestiam, tum ab hac aliena molestia sibimet ipse summos animi cruciatus afferebat. Quidquid fere vel familiariter in sermonibus audiret, vel in libris legeret, Vallarta rationem invenerat, in omnibus metuendi, ne quis error in sanctam Fidem serperet, nequa moribus perniciosa doctrina propinaretur; atque inde tertio quoque verbo, scepticorum instar, dubitabat, efficacissime pugnabat, mentemque suam miserabiliter implicabat; post pugnam vero internis cruciatibus rumpebatur. Ejus profecto ingenium si ab animi religione sejunctum consideres; in Petri Baylii, vel ipsius Pyrrhonis imaginem videberis incidisse. Omnino videbantur in viro isto clarissimo virtutes animi cum acri, et tristi, et suspiciosa natura vehementer pugnare. Conflagrabat ardentissimo Societatis amore, cujus instituta, et leges omnino in morum suorum normam sibi praefixerat: sed nescio quo mentis errore in id judicii devenerat, quod ipse, ta-

metsi non esset homo publicus, aut ullo in Magistratu constitutus, posset tamen, imo etiam deberet, erratis domesticis aut impediendis, aut corrigendis interdum immisceri. Atque hinc repente Vallartam ad te videres, initio quidem sedate, ac placide, instar precantis, nec monentis; ecce tamen inopinato severam, et elatam vocem, et terribiles unum ex alio syllogismos, ut vel errasse te confirmaret, vel viam emendationi praescriberet, vel haec, aut illa fugienda tibi esse commonstraret. Quod hominis arrogantiae tribuere ne quis possit; impune tibi licebat convicia in illum effundere: quae siquando ab irato quopiam audiret vel eo Magisterii tempore, vel simili de causa in suis etiam postremis canis, ad silentium heroe dignum confugiebat. Nihil unquam solemnius habuit religiosissimus Vallarta, quam ut sacra Fidei dogmata tueremur homines integra, et undequaque incorrupta; sed falso deceptus judicio, totus exhorrescebat ad nova, vel similia novis, quae Mexicanam litteraturam exornabant: verebatur enim, et propalam inclamabat, in iis omnibus clam latere cunicula pro Fidei fundamentorum eversione. Atque ab hoc fonte quot, quantaeque in ejus animo procellae! Quoties opposuit interritum pectus judicio quorumdam, qui sedatiore lumine rem cogitantes, per Sociorum pubem novum litteraturae saporem serpere, sive renovari majorum vetera, et elegantissima studia totis conatibus procurabant! Nemo sane miretur, in haec incidisse vi-

se virum, qui clarum, et apertum ingenium habuit in paucis. Plura possemus ab anteactis temporibus exempla id generis haurire; quae tamen praetermittimus, quia nec instituti nostri sunt, nec brevitatis, cui studemus. Nemini quidem non cognitum, nihil in humanis esse, quod non in alterutram partem trahatur, prout hominum vel diversa studia, vel diversae opinandi rationes in animo dominantur. Et haec narrare de Vallartae natura, pretium operae duximus, ut fides historiae constet: nec certe timemus, id ullo pacto fore in ejus boni nominis detrimentum; cum nemo sit ullus, qui crediderit, aut Solem maculis, aut Venerem naevis deturpari. Quod potissimum ad nos attinet, nihil profecto dubitamus, has fuisse praeruptas, et salebrosas vias, quibus ire Vallartam ad perfectissimae vitae fastigium constituerat, qui mirabilis est in Sanctis suis Deus.

Anno 1762. Lazcanus mortalitatem deposuit; atque honos laureae, qua functus ille fuerat, e vestigio Vallartae destinatur. Erat haec laurea, qua gratis donabat unum aliquem ex Sociis Academia Mexicana, pro Francisco Suarezio in publicis ejus gymnasiis explanando. Ternos ingenio, doctrinaque clarissimos appellabat Mexicana Societas; quorum datis nominibus regni totius Praetori, cujus nimirum erat Academiae Patroni vices agere, semper ille ad lauream optabat primo loco sibi repraesentatum. Magna civium omnium celebritate, summisque Collegii Doctorum gratulationibus, ad

hunc honorem evectum fuisse Vallartam, auditum est; cujus nomen jampridem in famosioribus ejus urbis Theologis habebatur. Atque ut in honore laureae, sic et in claritudine nominis, et in Consiliarii munere ad sacrum Fidei tribunal, et in immensis pro bono publico laboribus, et in animis plurium ad salutem dirigendis, quasi haereditario jure Lazcano successit. Utrique muneri, mane Suarezium in Academico ludo, post meridiem in domestico Divinos libros interpretandi, alacritate, ac diligentia maxima satisfecit: quidquid vero diei reliquum erat, vel cives ad se consilii causa frequentissime venientes excipiebat; vel domesticae juventuti Theologicos nodos enucleabat; vel cum ipsa res alias, ut supra demonstravimus, agitabat; vel aures pro sacra poenitentia petentibus, in templo libentissime se praestabat. Et hoc certe in munere juvandi animos pro sacro tribunali, mirabilis admodum fuit exempli, tum a constanti assiduitate; tum a benigna prudentia, facilique suavitate, quam profecto non sperares ab severo, et scrupulis anxio viro; tum etiam a foeminarum vilium, et abjectarum corona, (gaudebat enim his maxime, quod esset *Gens*, ut Isajas loquitur, *dilacerata*, *atque convulsa*, *quae non audivit nomen Domini*) qua corona nunquam non circumseptum subsellium ejus conspiceres. Ac sane mirum erat omnibus, quo posset tempore vir tantis impeditus occupationibus, tum volvere, meditari, conscribere, quae dictaret in duplici

gym-

gymnasio; tum parare silvam pro sacris orationibus, quas publice dicere vel domi tenebatur ex munere, vel foris invitabatur.

Paulo plus anno sustinuerat alacer grave pondus duplicis Magisterii; cum exoneratus a domestico, suscipere jubetur in eodem Collegio Praefecturam Sodalitatis, cui nomen erat ab immaculato Mariae Virginis conceptu: quam etiam Praefecturam Lazcanus, et ante hunc in summa senecta Oviedus, doctrina, et rebus gestis, et sanctitatis opinione celeberrimus, aliique canis emeriti, magnoque nomine in litteratis, et plures quidem post longam in gubernationibus aetatem, post summum etiam Provinciae Magistratum, habuerant. Erat enim Sodalitium illud omnino primum honore in Sociis Novohispanis, vel ab Sacerdotum, Doctorum, Nobilium confluentium numero, vel ab religiosa Sodalium omnium gravitate, vel ab ipsorum in cives egenos misericordia, vel ab laudabili charitate, qua se se mutuo Sodales fovebant, vel ab ingentibus largitionibus, quae in nosocomiorum, aliorumque id generis locorum emolumentum redundabant. Igitur Vallarta, vix completo aetatis anno quadragesimo quarto, ad tantum muneris designatus, quin laboriosum Academiae Magisterium deponeret; strenuum, et gnavum hominem plura posse, quam vulgo credit sive inertia, sive imbecillitas, palam commonstravit. Octavo quoque die publice ad Sodales dicere debebat pro munere; quod ut faceret in illo gravissimorum hominum

I 4 fre-

frequenti consessu, quorum magna pars ingeniis, et doctrina pollebant, opus erat illi labore non modico: cum praesertim in necessariis dotibus ad dicendum e suggestu, Vallartae fuerit natura parum benigna, et liberalis. Vox illi erat ingrate acuta, nec apte flexibilis, non firma latera, non in vultu majestas oratoria, non in gestibus elegantia. In oratione quidem elaboranda, non ei deerat illa, quam Tullius ubertatem, et quasi dicendi silvam appellabat. Eloquentiae speciem animo satis videbat; qualis ea deberet esse, apprime didicerat; et verbo, et scripto leges tradiderat, ut amplissimam, et perfectam orationem concinnes. Experimento autem probavit, et propalam ipse fatebatur, quod ajebat idem Tullius, cum Oratoris partes describeret: aliam nimirum esse intelligendi, aliam dicendi disciplinam. Quare ut eruditi coetus auribus ad comparati nominis mensuram, ad munerisque gravitatem satisfaceret, omnino ei non licebat ex tempore dicere; sed praeter innumeras occupationes, quibus urgebatur, in nova pro singulis hebdomadibus oratione condenda, totis viribus intendebat, desudabat, elucubrabat. Caetera Praefecturae munia diligentissimus, et religiosissimus obibat: interque alia, maximi erat exempli civitati universae, quod singulis diebus Dominicis hora pomeridiana fere quarta merendam coenae similem alterne distribuebat, et suis ipse manibus linteatus ministrabat vel amentibus in diversorio, cui nomen est a Divo Hippolyto, congregatis; vel horridis,

Google

atque igne sacro deformibus aegrotis in Divi Lazari Nosocomio: quod sane impendium suppeditabant fructus, qui quotannis redibant ex pecuniis beneficentia Sodalium collocatis. Ab iisdem fructibus, eodemque regente, ac totam rem gubernante Praefecto Vallarta, lautum admodum singulis annis epulum custodiis ministrabatur: quo sane die post fercula magnis ollis a bajulis delata, per vias urbis ibant solemni pompa Socii, quotquot erant in maximo Divorum Petri, et Pauli Collegio, silentes, demissis oculis, manu singuli cistellam tenentes cum panibus, aut pomis, aut oleribus, aut aliis munusculis, quae distribuerentur accumbentibus. Vallarta cum paucis linteatus apponebat fercula, vacuas lances amovebat, alia singulis dona dispertiebat: et huic salutari spectaculo, quod tantam praeseferebat religionem, tota plaudebat Mexicus, quae Praefecti Vallartae modestiam, demissionemque pariter admirabatur, et Marianam illam Sodalitatem celebrabat, a qua tam singularis erat in egenos, et afflictos cives misericordia.

Haec agebat incredibili plausu Mexicanorum, a quibus et domi, et foris, et in Templo, et in nosocomiis, et in carceribus, et in theatris litterariis, et in Canonicorum, Doctorumque Collegiis, et in pauperum tabernis, et in Nobilium Conventibus, et in sacro Fidei tribunali, singularis erat erga hominem laboriosissimum, religiosissimum, et Theologiae laude clarissimum, observantia, cum anno 1767 so-

lum transferre in Sociorum omnium comitatu jussus est. Cum voluptate quidem nos meminimus, quam alacri obedientia fuerit ad auditum Regis decretum Praefectus Vallarta; quantoque studio procuraverit festiva colloquia (superante, credimus, obedientia hominis, et communi erga suos charitate, nativam ingenii tristitiam) apud Sociorum pubem immiscere, ipsosque toto itinere verbis amoenis recreare, atque hilarare. Quibus mensibus Veracruce duravit, tametsi luctandum esset in fervidissimam coeli temperiem, et summa commorationis incommoda; Magistrum tamen ultro Vallarta se praestitit Italam linguam condiscere volentibus: hac enim lingua delectatus olim fuerat inprimis, cujus notionem, atque usum a Quinglesio, Praeceptore suo, derivaverat. Ab summo Provinciae Magistratu designatus, ut longo navigationis tempore institueret Socios in re pietatis tertio probandos, aliosque paucos in eodem navigio venientes regeret Superior; nihil penitus omisit, ut domestica disciplina, quoad licebat pro rerum perturbatione, sarta tecta custodiretur. Potissima fuit illi cura, nihil de sacra supellectili desiderari, ut, quiescente a ventis pelago, duo saltem Socii ad aram quotidie facerent: ipsi autem raro contigit, hoc animi solatio recreari; nam a perpetua nausea tam male affectus navigavit, ut, quanquam tenuissimo cibo viveret, nunquam tamen cessaret ab stomachi motibus, et saepe in lecto fatigatus procumberet. Importune quidem hoc illi accidit valetudinis adversum:

nam

nam cum neminem nosceret eo tempore Superiorem, qui conscientiam ejus constringeret, obstinavit animo non vesci carnibus; et incassum fuere Sociorum omnium preces, ut virum, in sententia sua deponenda difficilem, ab imaginarii criminis metu liberarent: ajebat enim, non eo valetudinis incommodae se habere, ut Ecclesiae praecepto non posset obtemperare; sibique satis esse caseum, ova, panem, (eum videlicet durissimum, qui solet esse in diuturnis navigationibus) ut abunde naturam reficeret. Undeviginti dies posuit a Veraecrucis portu in Havanenses; ab iis autem ad Gaditanos brevi quidem duorum, et quadraginta dierum navigatione, sed incommoda, aerumnosa, et procellosa fere semper usus est. Menses aliquot in portu Mnestei conquievit; unde, navim denuo cum conscenderet, per fretum Gaditanum, et sinum Lugdunensem, Corsos attigit, et pene mensem exegit Bastiae, quod initium fuit ejus apud Italos tirocinii, novarumque calamitatum. Inde autem brevissimo trajectu continentem Italiae cum tenuisset, in Pontificiam ditionem contendens, non modicam itineris partem, aetatis ejus anno currente quinquagesimo, pedes egit, robusto quidem animo, vultuque praeter morem hilari; quo Socios, praesertim juvenes, adversus injurias temporis alacriorem virtutem exerendam condocefaceret. Quo quidem itinere summa cum admiratione Vallartam nos vidimus, qui caeteros viae comites abire permiserat, solusque remanserat, mentis infirmae Socium comitaturus.

Ultra

Ultra novem menses ad Sancti Petri Castrum in Bononiensibus consedit; atque inde cum Mexicana pube translatus in Herculanorum suburbanum, Magister Theologiae Vespertinus, quod ajebant, brevi autem Primarius, renuntiatus est. Nihil industriae, nihil conatibus pepercit, ut ad sua consilia Socios juvenes in Theologicis institueret. Sed qui perpetuos vitae comites habuerat hactenus animi angores, repente coepit nimium sibi diffidere, palamque lamentari, non ea se praeditum esse doctrina, qui posset Sociis auditoribus theses publice propugnantibus praesidere. Quae sane cogitatio tam crudeli tyrannide in Vallartam dominata est, ipsamque tantae anxietates, ac tam horrendi pavores consecuti sunt; ut vir ante multos annos primi nominis in Theologicis disciplinis, quarum et lauream aetate floridus inter tot suppares meritissimos adeptus, ipse doctrina sua decoraverat, et a celeberrimis in Academia Mexicana Doctoribus innumeros plausus ob hanc laudem promeruerat; hic, inquam, vir jam canis ornatus, longa experientia edoctus, qui manum ab eo studio tollere nunquam potuerat, ad Theologicae palaestrae nomen formidabat, tremebat, exhorrescebat, tanquam puer elementarius ad prima in publico theatro pericula. Domestici, familiares, atque ipsi Superiores hominem verbis recreabant, confirmabant, totisque viribus, ut nihil timeret, evincere adnitebantur; sed profecto inutiles erant omnium conatus: ut plane animadverteres, ejusmodi me-

tus

tus altioribus esse radicibus infixos, et certe immissos a Deo, qui Magistrum juxta scientia praeclarum, atque animo demissum tentabat. Hoc in munere quadriennium fere duravit usque ad Societatis eversionem: quo quidem in eventu major, atque illustrior, quam fuerat reliquo vitae intervallo, Vallarta nobis visus est: cum inter tot Socios aetate, ac doctrina graves, qui debitam potestati legitimae obedientiam in colloquiis familiaribus certatim praedicabant; qui vel superaret, vel exaequaret efficaces ejus conatus, audierimus certe neminem. Quod profecto in homine, qui Societatem incredibiliter amabat, ejusque leges in paucis magnifaciebat; omnino confirmat, obedientiam Christi Vicario praestandam, altissime, ac prae charis omnibus in ejus animo inhaesisse. Id autem nihil tribuendum industriae conatibus, ut contrarios naturae motus domaret, ac frangeret: loqui enim, totamque suam exerere facundiam prorsus ex animo cernebatur; et saepius, et libentissime veniebat in eadem colloquia, praesertim apud juvenes; tametsi neminem unquam repererit, qui non eidem sententiae suffragaretur.

Et sane suspicamur, ab hac in Christi Vicarium observantia desiderium ei fuisse obortum, Bononia Romam immigrandi, atque ibi ultra novem annos remanendi: quo nimirum et Supremum Ecclesiae Rectorem cominus intueretur, et praesentem eum coleret, qui Dei Hominis in mortalibus vices agit. Quae suspicio

nobis

nobis inde nata est, quoniam hominem in iis, quae mundanarum sunt delitiarum, demortuo quamsimillimum, quem nec erudita veteris aetatis monumenta (quae cognoscere ex libris, olim juveni valde placuerat) nec palatiorum magnificentia, nec aurata simulacra, nec aedes marmore constratae, nec Aegyptiae pyramides, nec famosissimis manibus imagines, ac signa, nec aulae splendor, et strepitus, nec hujus alteriusve loci salubritas, nec alia plura, quae pulcherrimam, atque orbe toto laudatam Romam exornant; hominem, inquam, quem ea cuncta nihil prorsus moveant, aut titillent; ab sodalibus, et amicis, quorum consuetudine maxime gaudebat, et quibuscum a teneris vitam egerat, profecto non aliud, nisi praedicta in Christi Vicarium observantia, potuisset avellere. Atque ab eo potissimum tempore, qui fuit annus 1775, fere non aliud volvi Vallartae mente videbatur, nisi Summi Pontificis auctoritatem incredibili conatu propugnare. De hac potestate apud familiares colloquia quamsaepissime conserebat; hanc in otio secum ipse ruminabatur; hanc sacrorum Conciliorum, et primorum Ecclesiae Patrum suffragiis confirmare summa cum accuratione studebat; pro hac etiam, tanquam pro aris, et focis, accerrimo calamo pugnabat. Et plura de hoc argumento posteritati commisit opuscula suis omnino impendiis; tametsi nunquam non fuerit in summa tenuitate, ac rerum angustiis. Quorum sane opusculorum exemplaria fere omnia gratis donabat

nabat familiaribus, atque interdum plura singulis; ut per eorumdem manus, nullo suimet emolumento, personatoque auctoris nomine, latius propagarentur: neutiquam enim haec vel inanis gloriolae, vel sordidi lucri causa scribebat; sed quo magis, magisque Supremi Ecclesiae Rectoris auctoritatem confirmaret adversus hodierna quaedam ingenia, quae sibi plaudunt, quasi magnis mentibus, cum aliquid tentaverint ab Romani Antistitis legitima potestate decerpere. Neque vero silebimus, has Vallartae lucubrationes, ut ut optimo elaboratas animo, venientesque ab ingenio clarissimo; nihilo tamen secius non admodum placuisse Sapientibus, iis etiam, qui secundum leges Christianas, et rectam criticen vere sapiunt: vel quod natura proclivis esset auctor ad subtilem quamdam, et captiosam argumentandi rationem; vel quod latine scribens, oppido incomptum, et barbarum scholarum calamum adoptarit; vel fortasse quod in proposita nonnulla praeter communem opinionem impegerit. Nostri certe non est instituti, cum historice narramus, de rebus id generis, quae in disputationem cadunt, censoriam virgam assumere. Unum vero miramur, Vallartam, qui, juventute florente, tantus fuit latinae linguae veneribus, ut quasi unus aliquis veterum Romanorum, tum soluta oratione, tum carmine, latine scriberet, ac loqueretur; nunc adeo suimet oblitum, ab linguae praesertim, atque scribendi indiligentia, parum consuluisse lucubrationibus suis.

Post

Post annos novem, et menses aliquot romanae commorationis, mirantibus omnibus, et nemine reperiente causam, Bononiam remeavit; ubi summa pietatis, demissionis, modestiae, silentii laude pene sexennium alterum transegit; atque ita in cubiculo delituit, ut nisi pro ambulatione pomeridiana, quam fere coactus instituit, per vias urbis admodum raro inveniretur. Hanc latendi cupidinem adauxit postrema calamitas, eaque maxima, qua Deus virum istum toto vitae cursu afflictum, et agitatum tentavit: cum enim sinistrum habuisset oculum natura hebetem, adeo quidem, ut, clauso dextro, propemodum maneret in tenebris; anno exeunte 1787, dextrum oculum ad aciem externus humor cum cruciatu non modico vitiavit. Ille, quod alias in re simili fecerat, cum obstinasset animo, reluctantibus aliis, infirmum oculum igni admovere; sensim dolores increverunt, coaluit majori copia praedictus humor, quo tandem in putredinem verso, Medicum arcessi decretum est. Hic autem post dierum modicum, terribilem pronuntiavit sententiam, opus esse chirurgi manu, quae pungeret aciem, et collectam ibi saniem extraheret; ne gangraena, quae sine dubio imminebat, foede serperet, ac periculose prolataretur. Haec sane verba, tanquam sententiam capitis, audivit Vallarta, vir otio semper infensus, mente supra modum actuosus, duodeseptuaginta jam natus annos, quo fere toto spatio nihil a calami, et librorum usu cessaverat; nec alium

por-

portum repererat, in quem ab humanae vitae casibus, ab suae conscientiae timoribus, et ambagibus, horrendisque naturae suspiciosae fluctibus, daretur sibi confugere. Nihilo tamen minus Dei voluntati se commisit, decreta dies est, pupugit Chirurgus aciem, derivatus est perniciosus humor, delicatissimae partis inflammatio cessavit; sed ab eo die Vallarta fuit orbus dextro lumine, sinistro autem, ut demonstravimus, vix non orbus; quo tamen ad librorum solatium uti non poterat. Ergo suis vir ille cogitationibus derelictus, mirum est, quot, quantasque in animo tempestates ipse sibi excitaverit. Nihil remandebat mens illa vacua nisi perpetuas conscientiae fluctuationes, et horribiles metus, quibus mente sibi fingebat Deum oppido iratum, a quo nunquam non verebatur ad stygiarum furiarum communionem, et cruciatus aeternum duraturos detrudi. Quod si adjeceris vana quaedam deliramenta, et suspiciones, quibus animo se se describebat hominem nequam, flocci faciendum, natum fruges consumere, cunctisque civibus, et praecipue contubernalibus onus gravissimum, nec diutine sustinendum; profecto misereberis orbi per biennium, et menses aliquot Vallartae, fortasseque judicabis, illum adhuc mortalem solvisse Deo poenas, quibus in igne lustrali solent animae ante beatam aeternitatem expiari. Nihil utique mirandum, si tantis, et nunquam toto illo tempore interruptis angoribus afflictus, vexatus, agitatus, velut emota mente Vallarta interdum videretur.

Anno autem 1790, mense Junio, singularis naturae febricula correptus est, ac dies aliquot mente sibi non constitit; nec vero in illis non dedit quamplurima religionis, et virtutum, quibus eluxerat in bona valetudine, documenta: donec tandem V. Nonas Quintiles, quo mense complebat aetatis annum septuagesimum primum, placidissimo fato functus est, atque in paroeciali Divae Mariae Magdalenae templo terrae mandatus.

Clariorem autem Vallartae imaginem habebimus ab ejus virtutibus, vel paucis illis, quas ipsius modestia celare non potuit. Charitate in homines mirifice flagrans, nullam viam non tentabat, tum ut bonam omnium opinionem tueretur; tum ut criminibus implicati, ad honestatem se reciperent; tum ut egenis, et praesertim iis, quos pudor prohibet mendicare, quoad pro sua tenuitate liceret, lubenter, et celeriter, et magno cum silentio subveniret. Temperantissima lingua semper usus, nunquam in sermones de alterius erratis aut ultro veniebat, aut adduci patiebatur. Ardor ille nimius, et strenue severus, quo supra demonstravimus in ea se se quandoque intrudere, quae sui juris non erant; tametsi notam imprudentiae non effugeret, a purissima tamen enascebatur origine, quod auxilium omnibus praestare vellet, ac viam rectam erranti cuilibet promptus, efficax, accuratus ostendere: quae quidem origo charitatis, urgentibus uno ex alio scrupulis, ab irrequieta illa mentis calliditate vitiabatur. Mi-

rum

rum erat in Vallarta, quod pro suae conscientiae rebus austerissimam disciplinam secutus, et nativa indole ad rigorem pronus; judex tamen in sacro poenitentiae subsellio, vel in familiari colloquio si te moerore oppressum intelligeret, alius ab semet videbatur, ambages omnes, et fluctuationes deponebat, humanissimam suavitatem induebat, eruditam doctrinam in verbis consolatoriis explicabat, nec, nisi animo sedatum, abire te permittebat. Quanta fuerit in pauperes misericordia, tum in Italia nos testes fuimus, tum in oblivionem sero veniet Mexicana civitas, in cujus civibus plura reliquit hujus virtutis monumenta. Sit hoc pro multis, quoniam brevitatem sectamur: Anum quamdam Vallarta plures annos gubernarat in sacris Confessionibus; quae moriens, in summo moerore, ac luctu repraesentavit ei tenellam ex filia neptem, post impendens moribundae fatum extremis periculis, mendicitatique destinatam. Vallarta vero, et quod calamitosae puellae misertus est, et quod afflictae foeminae in agone postremo positae tranquillum procurabat interitum; se pro suis viribus opitulaturum orbae infanti pollicetur. Et sane fidem praestitit aequis conatibus, ac si sacramenti reus esset: nam et miseram illam, omni mortalium auxilio destitutam, apud honestissimam Matronam, in claustro diversantem, e vestigio collocavit; et praeter incertas alias pecuniae summas, aureos ipsi quinquaginta annuos a quodam benefico procuravit; et pulsus

in Italiam, benefico illo demortuo, tametsi summa ipse in tenuitate, atque angustiis, plura tamen ab sibi necessariis auferens, clientulam illam suam totis viribus adjuvare minime cessavit: eamdemque, vel jam moriturus, beneficiis cumulans, eximiae misericordiae documentum in sepulchrum intulit.

Inopiam religiosam, et voto in Societate constrictus, et eodem, illa eversa, solutus, maximopere coluit; adeo quidem, ut omnino asseveremus, hac in laude Vallartae pares, vel paucos admodum novisse, vel fortasse neminem. Si libros exceperis, quos vir doctrinis excultus, et hac duntaxat in humanis occupatione delectatus, abunde sibi comparaverat; nihil penitus invenires in ejus tota supellectili, quod non pannosum, et mendicum redoleret. Ejus indumenta, quo tempore in Sociis vitam egit, vilia quidem erant, usuque semper attrita, sed quae communem Sociorum morem minime dedecerent; ab Societatis autem excidio, cum nullus ultra fuit Superior, cujus nutum in rebus ejusmodi sequeretur, multo quam antea fuerunt viliora, et deteriora. Novem ipsos annos Romam cum Vallarta incoluimus; hoc autem longo temporis intervallo, cum interdiu, noctuque per vias urbis incederet, nunquam caput ejus galero coopertum vidisse meminimus: et quem ille galerum appellabat, lacerumque ac male contractum sub ala fere portabat; nos profecto nihil hoc dignum nomine credebamus. Perpetuam habuit comitem romanae

nae

nae suae commorationis, vetustate decolorem, et sordidam, et ex panno crassissimo tunicam, quae juxta ejus carnem tegeret, atque incredibilem internarum vestium inopiam; neque tamen ita potuit utrumque tegere, ut familiares aliqui non animadverterent, interdum hanc eamdem tunicam esse Vallartae pro subucula. Nasum extergebat telis cannabinis ea crassitudine, ut pejoribus uti nunquam viderimus vel eos, qui victum ostiatim sibi quaerunt. Fortasse in his enarrandis, alicui videbimur, ampullosum, et amplificantem calamum adhibere; sed in recentissima memoria, sin minus historiae fides, certe mentiendi pudor apud oculatorum testium multitudinem nos in officio contineret. Quin imo tot superstites, qui cum Vallarta familiariter usi sunt, sine dubio nos accusabunt, quod in ejus inopia describenda, quamplura siluerimus: id autem consulto nos facere intelligant, ne delicatas quorumdam aures offendamus. Hoc inopiae voluntariae studium, animi demissione tam insigni condiebat: ut, plura id generis documenta cum in eo contemplareris, haud facile dignosceres, ab utra virtute potissimum nascerentur. Contemnebat se se, ac nullo dignum nomine judicabat; et sicut pro victu, atque indumento, tenuissimis, ac deterrimis contentus erat, sic etiam pro habitaculo quodcunque vile tugurium ei daretur, amplissimè sibi contigisse arbitrabatur. Ad Sancti Petri Castrum laetus admodum jacuit menses aliquot in angustissima, et humillima cellula, pulsarum inde columba-

rum successor: nec certe dissimiles multo fuere commorationes, quibus Romae Vallartam pene ad bina lustra cognovimus. Quidquid autem esset de cubiculi, quod occupabat, angustiis; habitatores Vallartae similes, eorumque tota utensilia modico possent incommodo duplicari: nam cum locus esset exiguo ad male jacendum lecto, parvo ad scribendum abaco, mediocrisque magnitudinis arcae, quae tum accedentibus esset pro sedili, tum libros contineret; viro nihil amplius habenti, major amplitudo supervacanea videbatur. Grandior autem, et mirabilior comparuit Vallartae demissio, et temperantia; cum, variis ejus operibus, ut demonstravimus, publicatis, omnino nullae celebritates in auctoris honorem auditae sunt. Fuerant haec opuscula multae cogitationis, et studiorum, et vigiliarum fructus, quorum unum scopum vir continentissimus animo sibi proposuerat, sanctam religionem asserere. Quare ad publicum sive silentium, sive neglectum, nihil dubitamus, vehementer illum doluisse, quod collineare non potuerit; sed vel ii, qui familiarissime noveramus hominem, nullam hac de re conquestionem ejus audivimus.

In castimoniae custodiam pluribus, atque iis efficacibus, armis usus est. Fere nunquam volvebat obtutum ad ejus vultum, quicum colloquebatur, praesertim ad foeminas; quarum intimam vitare consuetudinem, solemne semper habuit. Intentus, et fervidus consuetis meditationibus instabat; interdiu vero, sive legeret,

sive

sive scriberet, sive rem quamvis ageret, saepius ad Numen brevibus precationibus animum erigebat. Mariam Reginam Virginum observantia singulari coluit; ejus religiones, quoad potuit, ubi ubi divertit, propagavit; deque ipsius Immaculato Conceptu longiusculam scripsit lucubrationem, quod justum volumen est: hoc autem opusculum, atque ejusdem alia plura silent inedita. Perpetuum indixit otio bellum, ne mens haberet liberam errandi per inutilia facultatem; quippe mane cum e lecto surrexerat, animumque sacris commentationibus, ac Divino sacrificio excoluerat; in cubiculi solitudine se se continuo praestabat operae vel studendi, vel conscribendi, donec ad prandium appellaretur. A modica meridiatione statim redibat ad libros; quorum suavitate inebriatus, ad cadentem Solem nulla interruptione perseverabat. Loquimur de Vallarta Romae commorante: nam postremis vitae annis, quos egit Bononiae, familiarium precibus inductus est, ut ab opera post meridiem cessaret, ac salutari deambulationi vacaret. Romae quidem sexagenario major, et lusciosus homo primam noctis vigiliam lubentissime consumebat in fovenda cum suis popularibus charitate; quorum domos alternatim per hebdomadam frequentabat. Quare festive dicebatur a nonnullis, Vallartam esse noctuae similem, qui diu silebat in tenebris, nocturnis autem expeditionibus fruebatur. Domum inde reversus, brevissimae coenae vacabat, in cubiculo rursus latebat, severus in semet judex diurna sua facta,

et dicta, et cogitata disquirebat, Deum precabatur, et lectulum repetebat. In qua quidem temporis partitione nihil penitus rerum inanium, nedum pravatum, cogitationi supererat.

Christianum sui corporis odium incredibiliter fovit, eo quidem gradu, quo majorem excogitare vix poteris. Inedia voluntaria, flagello, ferreisque macerationis instrumentis in se se crudeliter insaeviebat: cujus religiosae crudelitatis monumentum superest illa scutica, quam assidua exercitatio stamine denudaverat, et quam filis ferreis horridam quidam Vallartae familiaris, venerationis ergo repositam, in pretiosis custodit. Ante plures annos, quam Mexico egrederetur, ultro se abdicaverat illa grata potiuncula, et ipsi quidem gratissima, cui nomen est Coccolatum, qua bis in die propemodum omnes ibi gentium reficiuntur: et quia non poterat ab indefessis in studio sudoribus omnino jejunus ad prandii tempus durare, vile aliquod pomum erat illi pro refectiuncula matutina. Quos fere decem annos Romae transegit, nulla sindone usus est, nulla etiam culcita; sed laneo duntaxat torali super protensos funes constrato, quod lecti viatorii genus esse solet, incommode nimium cubabat; et eo quidem incommodius, quod asperrimo illo stragulo totum corpus involvebat, ut in dimidio recumberet, dimidio reliquo tegeretur. Atque eo jam tempore, suspicamur non levibus innixi fundamentis, Vallartam non se despoliasse diurnis vestibus, ut noctu cubitum iret. Quam ad interitum retinuis-

tinuisse consuetudinem, satis demonstravit in postrema valetudine; cum nullis precibus flecti potuit, ut ingressurus in lectum, non modo calceos, tibialia, femoralia, verum nec externam tunicam volens, et lubens deponeret; nec certe deposuisset, nisi ab invito post dies aliquot, valetudinis administri extorsissent. Emota nimirum mente a morbi vehementia, obstinatissime volebat, iisdem vestibus ire ad somnum mortis, quibus ad somnum quotidianum. Dolemus profecto, plurima ignorasse de hoc homine, cujus in primis amoribus modestia sine dubio fuit: sed ab iis duntaxat, quorum testes fuimus, tantus certe comparuit Josephus Vallarta, ut pauca naturae vitia nihil impediant, quominus illum et excellentium virtutum copia, multo quidem uberior, et doctrinae in Theologicis praestantia, et magna opinio in Mexicanis habita, et cumulata in Italis, tanquam virum egregium, et clarissimum posteritati commendent.

AUGUSTINUS CASTRUS.

NOn nisi cum moerore, ac lacrimis manum admovemus clarissimi hujus viri describendae imagini, quem sexagenario majorem, multis autem nominibus aetate longiore dignum, abhinc die quinto subita mors intercepit. Hic nobis longo tempore dux consiliorum, in dubiis lumen, in calamitosis perfugium, in optimis doctrinis digito velut monstrandis Magister, in his vero lucubrationibus, quibus illustrium Mexicanorum vitas conscripsimus, tum censor aeque gravis, et prudens, tum fons purissimus, et copiosissimus, a quo plura derivavimus. Ac sane quo ipso die fatum ei proximum impendebat, mane fuimus apud eumdem longiusculi, ut postrema lucubrationum nostrarum adversaria reciperemus; et percontanti, num opusculo coronis fuisset imposita? neminem a nobis describendum superesse, respondimus. Nesciebamus enim, post horarum modicum a nobis avellendum tam praeclaro merito virum, cujus et religiosam vitae rationem intima necessitudine noveramus; et felicissimam naturam, ab eaque dotes innumeras plurium annorum intervallo suspexeramus; et incredibilem in omnibus fere doctrinis eruditionem prosecuti admiratione fueramus; et complura elegantissime scripta, summo cum gaudio,

dio, nec modico emolumento legeramus; et eximia in litterariis gesta, gloriososque sudores partim nosmet videramus, partim a vigiliarum suarum monumentis argumentari potueramus; et mirabilia, salutariaque effata, quibus ejus colloquia nunquam non abundabant, fere ad ipsius postremum suspirium collegeramus. Nulla certe injuria temporum a nostra memoria obliterabit Augustinum Paulum Castrum, cujus amicitia, et necessitudo nobis fuit in Christiana philosophia, litterarumque rebus eximie benefica.

Patrium solum habuit Cordubam, quod oppidum, in totius Novae Hispaniae fertilissimis, atque amoenissimis, famosi montis Orizabae radices ad Orientem solem fere attingit. Anno 1620. excitata fuit Corduba, Decurionibus ingenuae nobilitatis ad eam immissis, quam et Philippus III. Hispaniae Rex multis honoribus insignivit. Ab hoc felicissimo, et salubri solo pretiosae merces Mexicum importantur; interque alia saccharum, et tabaccum optimi generis in magno commercio sunt. In ejus oppidi patritiis Decurionibus Dux fuit, et quasi primus Conditor, Ildephonsus Arevalus Galvanus, Petri Leonis Garaviti, sanctissimis moribus, et notissima probitate Pontificis Guadalaxarensis in Novohispanis, avunculus: ab hoc Arevalo tum per mares, tum per foeminas natu majores, et ipsa natu major, veniebat Ignatia Tembra Simanes, nobilis puella, quam sibi matrimonio copulavit Franciscus Perezius Castrus, vir

vir Gallaicus, natalibus ita illustribus, ut Comites Lemos, Villa Marinios, et Garci-Perezios cognatione attingeret; quod ex litteris publici Scribae fide subscriptis etiam hodie liquido constat. Extabant pariter ante paucos annos litterae Petri Castri, cui titulus honoris erat *Dux de la Conquista*, Praetoris ab Rege in Mexicanis; quibus in litteris Praetor iste, Francisci Perezii Castri cognatum sese dicebat, et pluribus confirmabat. Nec modici fuit honoris Francisco Castro, quod ad Equites Divi Jacobi sponte fuerit cooptatus; quem tamen honorem vir frugi, et modestissimae temperantiae recusavit. Ab his generosis Parentibus quinque prodiere filiae, quarum quatuor Jesum sibi sponsum in Angelopolitanis Virginibus elegerunt; una vero, morbis innumeris vexata, contubernalibus chara superest in Christianae patientiae documentum: filii vero fuere quatuor; quorum secundus ad Franciscanos Coenobitas, qui sub Divi Ferdinandi nomine strictiorem colunt observantiam, confugit, ac fere ante triennium vitam posuit; primus, tertius, et quartus in Societate meruerunt. Omnium natu maximus fuit Augustinus, cujus honestos mores, amabilem urbanitatem, doctrinaeque praestantem admodum excellentiam aggressi sumus describere.

Cordubae natus nono Kalendas Februarias, anno 1728, jam a puero mentem explicuit minime vulgarem, et quae plane videbatur, fore, ut in patriae sapientibus emineret, si ab agricola industrio solum illud natura fertile co-

lere-

leretur. Ejus vero Pater omnino fuit gnavus, et industrius, tum in aliis, tum potissimum in hac parte institutionis filiorum: vir enim fortunae bonis opulentus, et litteris admodum excultus, depingi sibi curavit, atque ordine distincto per totam domum collocari magnas tabulas, quae tam clare, quam magnifice repraesentarent oculis, quidquid historicum est in sacris codicibus a *Genesi* usque ad *Apocalypsim*: has vero magnas tabulas intersecabat alia breviorum tabularum series, in quibus cerneres virorum imagines, qui proxime depictam historiam luculentius explanaverant. Pro quibus laboribus, ingentis quidem sumptus, laudatissimam Ibarrae manum adhibuit; qui sane Ibarra, quod Italis olim Corregius, erat tum temporis Mexicanis. Quam nobile prae sericis peristromatis, prae crystallis, et auro, prae fumosis majorum imaginibus ornamentum! Et profecto quamlibenter incurrimus in hanc memoriam, ejusque similes, quae pertinent ad docendum; quo potissimum fine historia delectatur. Ita quidem tenellus adhuc Augustinus, quolibet oculos domi converteret, in sacram eruditionem incidebat; et Pater ejus in omnia filiorum dicta, et facta incredibiliter intentus, nullam praeterlabi sinebat occasionem, ut Divinam historiam, quam oculis intuebantur, ad eorum captum enuclearet. Quod siquis illorum, ut ejus aetatis est, percutere fratrem auderet; ad Cainum, et Abelem e vestigio vocabantur; et exterritus alter Caini exemplo, alter Abelis nomine

mine laudatus, ille ad emendationem, hic ad patientiam, uterque ad fraternum amorem excitabatur. Ita passim ad omnem vitae consuetudinem in illo depictae sacrae historiae velut gymnasio puerulos suos Franciscus Castrus erudiebat. Quod quidem Augustino, cui profunda rerum meditatio fuit in praecipuis amoribus, tantum attulit emolumentum; ut, vix infantia deposita, scriptores illos, qui sacris rebus calamum praestiterunt, satis jam nosceret; Divinam historiam copiose narraret; ac seriem eventuum ab orbe condito, quoad in illa aetatula mens potest, mirifice memor explicaret.

Habuit etiam Augustinus ab optima Parentis educatione, quod legere ut condisceret, primae utilitatis libros accepit: atque ita puer elementarius volvit, nec ab ejus memoria temporum injuria delevit, Fleurii christianam institutionem, Christiani Andricomii annales, Bossueti sermonem de historia, idque generis alios, qui et animum ad virtutes informarent, et mentis curiositatem titillarent. Quam sane curiositatem, quae miris progressibus explicabatur in puero, totis conatibus accuratissimus Pater fovebat; nam et promptas dabat aures, et facilis explanabat, quidquid ab Augustino interrogaretur; et quidquid laborandum occurreret, domi deferebat opifices, quos puer, omnia discendi cupidus, adibat, instrumenta tractabat, eorum nomina, et usum percontabatur, patientissimus testis laborantibus aderat, operaeque sponte se praestabat. Sed potissimum natura

fere-

ferebatur in artem delineandi, quae puerulo saepe fuit longarum horarum oblectamentum; et cujus eam perfectionem, nondum adolescentia deposita, consecutus est, ut ejus obumbrationes, quibus interdum subcisivas horas in Seminario Mexicano tribuebat, a manu pictoris, longa exercitatione consummati, viderentur. Quo quidem in genere, praeter alia multa, magni fuit aestimata Divae Catharinae Virginis, pro Christo mortem subeuntis, venustissima tabula; quam animi causa delineavit; et quam in lares paternos dono missam, nec levis meriti judicatam ab artis peritis, Pater ejus in domestico sacello collocavit, et usque ad interitum in charissimis custodivit. Nos profecto, quanta in his esset manus facilitate, saepe fuimus oculati testes; et praecipua cum admiratione vidimus obumbratam ab ipso pulcherrimam imaginem Thomae Mori, Britanni religiosissimi, et multis nominibus famosi. Latinitatis Magistrum habuit Ignatium Garciam Tobarem; a quo quidem, in domestico umbraculo, cuncta intelligente, praeeunteque institutionibus Francisco, tantam in ejusmodi re doctrinam exhausit, ut modico postea sudore summam latini calami elegantiam adeptus sit. Josephus Carballosa, qui navis Gubernator in regia classe fuerat, rem Francisci domesticam ea tempestate administrabat; a quo primum instrumenta nautica, pluraque, quae sunt maris, novit id aetatis Augustinus: ab eodem, et a Parente (qui fuit rerum ejusmodi scientissimus) primas

Cos-

Cosmographiae notiones nactus est, tabulasque et globos geographicos, iisdem ducibus, audivit, et sedulus pertractavit. Hac etiam aetate Toscam Augustino Franciscus obtulit; non certe ut sublimem ejus doctrinam omnino comprehenderet; sed ut curiose volvere, ac magnifacere, sibique familiaria reddere Mathesis elementa, quae scientia est utilissima, tenellus inchoaret. Accedebat ad Augustini perfectissimam institutionem, quod quotidie in domum ejus confluebant Didacus Calderonus Velardius, Andreas Perezius Velascus, Athenogenes Morales, Joannes Barcena, Josephus Tembra, pluresque alii pari magnitudine noti, ac laudati viri, quorum erant honestissima, et urbanissima, et plena litteris colloquia; quibus interesse cum delectaretur Augustinus, in primo aetatis fervore gravem in loquendo virorum maturitatem condidicit. Atque hinc nihil est mirum, puerum istum anno aetatis undecimo, plurium artium, et scientiarum notiones, atque ingentem, ut erat tantulus, eruditionem habuisse; nec longo annorum ultra sexaginta intervallo lusoriis chartis, quas fere non novit, aut aliis ejus furfuris ludis operam dedisse; nec tempus unquam incassum contrivisse; nec alias fuisse bullatas ejus nugas, nisi cursum, et similia, quae corporis vires exercent, et ingenuam honestatem non dedecent. Consulto longiusculi fuimus in Augustini pueritia depingenda, quoniam ex iis plane fuit, qui morum elegantiam, et scientiarum studium a domestica consuetudine derivarunt;

runt;

runt; quemadmodum Laelios, et Mucios, et Julios, et Gracchos, ajebat Tullius, quasi haereditario jure latinam proprietatem, et venustatem accepisse. Utinam et haec plures legant; qui Franciscum Perezium Castrum in filiorum institutione velint imitari! Quantam Reipublicae utilitatem! Quanti cives et honesti moribus, et praeclari litteris, et excellentes urbanis veneribus, et conformati ad patrium bonum educarentur!

Ita demum ad optimum doctrinarum saporem instructus Augustinus, aetatis anno duodecimo in Solem, et pulverem prodiit, Angelopolim immissus, ut procul a paternis delitiis mundi theatrum agnosceret; atque inde post paucos menses translatus Mexicum, ut in Divi Ildephonsi alumnos adscriberetur, et in publico gymnasio philosophiae vacaret. Ab iis autem, quibuscum familiariter egerat Angelopoli, tantas ingenii sui laudes audierat; ut puer, nondum satis cautus ad motus animi frangendos, ingenti suimet existimatione inflatus (ut ipse in postrema aetate ridebat nobiscum) ad Seminarium accesserit. Ab hac vero vana gloriola, et a celebritate, qua fuerat ingenium ejus imprudenter amplificatum, plures illi contigerunt calamitates, et probra: nam et ipse barbaram dictatorum latinitatem, quam nunquam audierat, nihil cautus incusabat; et Seminarii Praefectus, vir quidem difficili natura, et austerissimo rigore, plus a Castro, quam a caeteris, exigendum arbitrabatur. Sane quamfacilis

erat Castrus, ut scripta, cum meditatus fuisset, comprehenderet; sed conceptis ex dictato verbis rem discere, cui labori nondum assueverat, omnino repugnabat. Hinc Praefectus assidue interminabatur, et rigida verba, et horridum supercilium adhibebat, et poenas non semel irrogavit: quod puerum ingenuum, delicate pudibundum, atque hactenus leni imperio, suavibusque Parentum verbis institutum, adeo periculose fatigavit; ut parum abfuerit, quin praecipiti furore in extremam ruinam concideret. Quod ne faceret (ut ab ipso intelleximus) una impedivit charissimi Patris recordatio; quem summo dolore opprimendum, neutiquam ignorabat, si, fuga sibi consuluisse filium, inaudiret. Post varios autem casus in auxilium venit Christophorus Escobarius, qui nota prudentia Rector alumnos gubernabat; et qui, suavitate comite, ad moderata consilia converti Castrum impetravit. Sed tempestate sedata, fluctus adhuc innumeri toto philosophiae curriculo permanserunt, qui exulceratum juvenis animum agitabant: nam et ab anteactis casibus pudor continenter urgebat; et, inusta segnis inertiae nota, quam certe non merebat, ad vastissimam ingenii mensuram extolli non potuit. Quantum interest, quibus consiliis ad pueros administrandos accesseris! Nec desunt Magistri, qui se se natos ad eorum institutionem perperam putent, si verbis asperis miseros exterrere, ac divexare noverint, et flagris abundanter utantur. Et interdum de moribus, et scientia duntaxat quae-

ritur,

ritur, ut Magister quis constituatur; de leni, aut difficili natura, de suavibus, aut asperis in gerendo Magisterio consiliis, ne cogitatur quidem inquiri. Plura quidem intelligunt, et animadvertunt pueri, quam vulgo creditur; atque in eorum animis, cum praesertim indole sunt ingenua, manet altissime repositum, quidquid de illis incogitanter pronuntiaveris. In his perpetuis fluctibus philosophicum stadium Castrus absolvit, magni quidem aestimatus ab ingenio; Magistro tamen, et aliis visus vix mediocriter profecisse. Cum autem, quod moris erat post exactam philosophiam, publicum subiisset periculum apud Academiae Doctores, tantam exeruit doctrinam, et tam insolitae laudes ipsi attributae sunt; ut ejus Magister, qui periculo praefuit, temperare ab lacrimis, et suavissimo gaudio non potuerit. Atque ità demum, quem locum honoris inter primos a Magistro, publice de suis auditoribus judicium dicente, non habuerat; ab Academiae Doctoribus, ex merito pronuntiantibus, praeter Magistri, et omnium opinionem adeptus est.

Emendatus a puerilis gloriolae titillatione, quam immodicae laudes in ejus animum intulerant, ad lares paternos restitutus est; ubi constitit menses aliquot, librorum lectioni jugiter, ac lubentissime intentus. Praecipuas vero delicias habuit in Tosca, sibi jam noto, et charo in paucis; quem ea tempestate dies, noctesque incredibili accuratione volvebat, non modico Patris tum stupore, tum voluptate, quod

amplissimum, et ad grandia factum ingenium, tam efficaci studio, sciendique cupidine filius exornaret. Eo sane tempore tantum se, Tosca Magistro, fuisse illustratum, postea narrabat; ut ad nova doctrinae lumina quasi novus homo esset, ac fere suimet oblitus videretur. Tanti meriti filium, qui et natu major omnium erat, ut demonstravimus, domi retinere Pater ejus cogitabat; ut rem familiarem ab ea aetate curare condisceret. Ipse vero adolescens Mexicum remitti cum postulasset, ubi ad Divinam Scientiam informaretur; hoc etiam suavissimus Pater, quanquam non oppido lubens, indulsit. Mexicum ergo regressus, ejusdem Seminarii alumnus Theologiae vacavit; in quam tametsi sedulus incubuit ex praescripta caeteris disciplina, subcisivis tamen horis Tosca, et Feijovio, et similibus auctoribus delectabatur. Et convenerant, ut assolet, in Seminario plures alumni, quibus avide cupientibus eruditionem, se se Castrus adjunxit; confluebantque quotidie statis horis, ut hispanos libros castigati saporis legerent; ubi et tempus utiliter impenderent, et emendatum in litteris judicium haurirent, et in patria lingua perficerentur. Quibus in conventibus, ad triennium protractis, legisse Castrus testabatur, pene omne, quod optimum, et exquisitissimum ad ea tempora Hispani patrio sermone posteritati commendarant. Opportuno tempore, Theologiae theses, quae primi honoris erant inter alumnos, publice defendit, Praeside Cajetano Turrio, quem alibi a doctrina,

na, et virtute laudavimus, et cui Castrus fuit semper in charissimis. A quibus thesibus inolescere coepit nomen ejus, tanquam adolescentis mente clarissima, et omnino nati ad ingentem eruditionem.

Sed jam ante menses aliquot mundanis vanitatibus remittere nuntium ardenter desiderans, in Societatis adeundae propositum venerat. Christophorus Escobarius, tum temporis Provinciae Moderator, et peculiari benevolentia juvenem prosequebatur, et ejusdem Patrem antiqua necessitudine colebat: qui profecto Escobarius tametsi adolescentem istum ad Socios cooptari multis nominibus gauderet, id tamen executioni mandandum minime censebat, nisi Patris et scientis, et lubentis voluntas accederet. Pater vero filium hunc ab se divulsum iri prorsus negabat: non certe quod alieno ab Sociis esset animo; quoniam pro Societatis excitando Cordubae Collegio, vehementissime urgebat, ingentem pecuniae summam repraesentabat, et cumulatiorem censuum copiam pollicebatur. Negabat autem filium ab se divelli, quem tantis naturae dotibus, et industriae virtutibus instructum, destinarat sibi senectutis comitem, et solatium. Sed urgebat juvenis, a Numine vocatus in religiosam tenuitatem; emollitur constantia Pater; et Escobarius tandem, cadente sui Magistratus triennio, Societatis tironibus aggregat Augustinum; qui decimo octavo Kalendas Februarias, anno 1746, aetatis fere completo duodevicesimo, Tepotzotlani tirocinium

 inchoa-

inchoavit. Magistrum sortitus est Josephum Bellidum, saepe a nobis cum laude memoratum, a quo prima disciplinae in religiosis hausit elementa; eaque tam salutaria, ut Castrus toto vitae cursu mores dignitate plenos retinuerit; domesticae disciplinae fidelis cultor; mirifice affabilis in sermonibus; ad quaevis injuncta munera eximiis conatibus, et toto pectore incumbens; profundis cogitationibus vacans, quidquid insuetum occurreret, ne in rebus agendis erraret, atque ipsum facti poeniteret; religionibus deditus, non quidem iis, quae videntur ab hominibus, et sunt tanquam externum pietatis indumentum, in quibus certe parcus erat; sed iis, quae potissimum Numini placent, quae motus animi domant, ac frangunt, quae veram, et genuinam pietatem a personata discernunt; civis usquequaque bonus, et optime de patria meritus; amicus fidelissimus; litteratus nunquam invidus; alieni meriti laudator oppido justus; Naturae Divinae Theologice investigator, et solide religiosus venerator; Sacrorum Fidei Dogmatum, et Ecclesiastici juris, ubi ubi occasio daretur, etiam apud eos, qui haec labefactare student, interritus, et acerrimus propugnator. Testes appellamus eos, qui cum hoc Sapiente familiariter usi sunt, atque aperte pronuntiare precamur, num haec Augustini Castri verissima sit imago? Bellidus quidem, cujus inter caeteras dotes ea cum primis excellebat, quod mirabiliter internosceret arcanos hominum motus; complures dedit significationes, quanti Castrum

tiro-

Digitized by Google

tironem aestimaverit: nam et eum, ab singulari jam tum prudentia, novitiorum Praefectum constituit; et sermones cum ipso familiariter conserebat, quasi cum emerito viro, juris domestici scientissimo, et longa rerum experientia consummato.

Post tirocinii biennium ad amoeniores literas translatus, incredibile est, quam mentis illustrationem repente in Musarum theatro consecutus sit: hic enim, maturescente jam ingenio, explicuit se se ingens illa eruditio, quam in pueritia, primaque adolescentia sibi comparaverat; et quae ab annis teneris hactenus involuta, et confusa permanserat. Tullium, et Quintilianum ut attente legit, ac serio meditatus est, tam accurato studio illis adhaesit; ut perpetui sibi duces, et Magistri fuerint, nec ab eorum lectione vel in postremis canis abstinuerit. Ab ipsis plane didicit perfectam eloquentiae normam, et qualis debeat esse, qui oratoriam artem aggreditur. Et audivimus ab ipso Castro, se tunc aetatis anno vigesimo, cum Tullium profunda meditatione volveret, atque alias animadverteret plura in rebus eloquentiae vitia, quae per ejus aetatis oratores foede serpebant, omnino attonitum obstupuisse, atque ita secum ipso locutum fuisse: *Hi sane oratores, quorum plures ingenio sunt lectissimi, videntur artis oratoriae Magistris operam aliquando dedisse duntaxat eo nomine, quia consuetudo fert, hanc esse partem in cursu studiorum; postea vero penitus negligere, quae didicerant: cum ita publice*

 dicant,

dicant, quasi nullae sint leges, quae dicendi modum praecipiant. Atqui ego totis conabor viribus, ut ab artis oratoriae praeceptis reapse orator efficiar. Quod quanta cum laude consecutus sit, plures Novae Hispaniae civitates meminerint, et nos postea demonstrabimus. Plane natus ad poeseos veneres, hanc amoenissimam litterarum partem et ibi summa cum accuratione, ac voluptate coluit, et, procedente vitae cursu, nunquam dereliquit. Nec leve monumentum est, quanto fuerit in amore Musis, quod in illa vitae litterariae velut infantia primum excogitaverit Cortesiadem canere, sive poema epicum de Ferdinando Cortesio Mexicanorum debellatore. Quod ne juvenili tribuatur arrogantiae, jam tum Castrus Achillem, et Ulyssem, et Aeneam cum Cortesio conferebat; et Graecos, et Trojanum Hispano sane quaminferiores existimabat: nec aut Tassi Jerusalem, aut Camoensii Lusias, tam nobile poematis argumentum, quam sua Cortesias ipsi videbatur. Tacitus enim mente volutabat tum immensam gloriam, quae Christianae Fidei contigit ab orbe Mexicano debellato; tum novam utriusque hemisphaerii communionem, quae se se mutuo et cognoscebant attonita, et plurimis vinculis connectebant; tum magnam admodum scenae mutationem ubique fere terrarum; tum scientiarum, et artium, et commercii, et rei civilis incrementum, aliaque, quae Mexicum hispanis legibus obedientem consecuta sunt. Quae quidem cognitiones, in adolescentis viginti anno-

rum

rum mente conceptae, liquido probant, illum ad grandia fuisse natum, et ante annos viriles gravitati scientiarum matûratum.

Tanta jam eruditione supra aetatem instructus, ad repetendam de more philosophiam Angelopolim, et post annum grammaticae dictus Magister, Anticariam in Guaxachensibus contendit. In qua quidem urbe, alibi a nobis obiter descripta, latinam dixit orationem, eamque elegantissimam; atque omnibus ordinibus probatissimam; cujus fuit argumentum, plura de Sapientum laude, ac Dignitate in memoriam revocare, ut homines ad litterarum studium allicerentur. Quod bonum omen, et Magisterii magna pollicentis exordium, cum externorum, tum domesticorum oculos in eum convertit; praecipue vero familiarem habuit toto illo biennio Josephum Estradam, tum ibidem philosophiae Magistrum, ab eleganti cum Musis commercio, Juris Canonici scientia, et variarum doctrinarum eruditione in Mexicanis notissimum. Hoc studiorum contubernali, et consiliorum duce, vehementissime desudavit Castrus, ut pluribus litteris mentem, natura praeclaram, et feliciter conformatam, excoleret. Diurna in litteris defatigatio nihil impediebat, quominus semper primam noctis vigiliam, nec raro totam noctem, elucubrando consumeret. Quare summo delibutus gaudio cernebatur, quoties Anticariensis ejus commorationis occurreret mentio: quoniam ibi, ut ajebat, nulla pene intercapedine totum se se litterarum oblectamento tradide-

diderat. In horum sudorum fructibus potissimum laudatae fuerunt *Mictlenses reliquiae in Zapotechis*, quae latina erat descriptio ruderum, arcis, palatii, Templi, Cryptaeque mirabilis, quae cuncta non procul ab Anticaria cum stupore visuntur, et sunt in paucis, quae remanent Americanae antiquitates. Majorem, et difficiliorem adduxit operam in transferendo Virgilii Tityro ad hispanos hexametros; quod novum hispane cantandi genus, ab Rengifo vix raptim propositum, ab aliquo ex felicibus ingeniis perfici posse, atque executioni dari judicabat. Nam ut studia sua magnam partem collineabat, ut aliquando caneret Cortesiadem; de simili syllabarum exitu, ac de metris, quibus hispane canimus, multa secum ipse, atque admodum intente meditabatur. Ad heroicum argumentum, quod rapiditatem quamdam, et libertatem postulat, nihil accommodatum putabat metrum illud, quas *Octavas* nuncupamus: has enim, velut circino dimetiendas, et octavo quoque cadente versu, ad sensum orationis integrum terminandas, videri sibi, ajebat, in epico carmine, quod in Architectura Gothorum sapor, qui columnas excitabant, unam ex alia, ut tectum contingerent; longe a venusta Graecorum fabrica, quorum columnae simplices, procerae, magnificae consurgebant. Quare pro magno carmine metrum praeferebat, quam *Silvam liberam* vocabulo patrio dicimus: hanc autem, quae versibus constat, quorum major ultra syllabas undecim produci non potest, nimis brevem, et

an-

gustam putabat, et quae omnino non implet heroicam majestatem. Atque olim sane, ad optimi saporis trutinam, hendecasyllabi jocosi dicti sunt. Quos Martellianos vocamus, Gallorum delitias, ab ejusdem soni perpetua unitate repellendos existimabat. Quamobrem in ea versuum inopia, experiri aggressus est; num sermo hispanus dare posset hexametros, quorum sonorus, et gravitate plenus concentus apprime consentaneus erat heroicis, quae mente volvebat? Mire delectatus est Suetonii lectione de Claris Grammaticis, quos, ait Romanus ille, nondum inventis latinis accentibus, mensuras Graecorum ad suam linguam traducere conatos esse. Sic Accium, sic Pacuvium, sic Ennium fecisse constat. Et hos imitatus Castrus, hispanis hexametris Virgilii Tityrum cecinit; ut etiam nobilem Anticariam, unde post Magisterii biennium abibat, hexametris, et pentametris eodem vernaculo descripsit. Operae pretium duximus, hos adolescentis laudabiles conatus memorare: nam toto vitae cursu sibi constitit, eosdemque sudores difficultatibus opposuit, quidquid vel amoenae litteraturae, vel majorum scientiarum aggrederetur.

His plenus cogitationibus, anno 1752 Mexicum venit; ubi cum legeret Emmanuelem Stephanum Villegam, hispanum poetam egregio merito, magnopere gavisus est, hunc tanto nomine virum antea tentasse latino metro hispane concinere; quod ipse in suis Anticariae vigiliis fere novum crediderat. Summa cum volupta-

luptate legit opuscula illa, quae Villegas ipse *Latinas* appellavit; quarum venustate allectus, magis, magisque mentem suam confirmavit, posse aliquando in illorum conatuum perfectionem venire magnum aliquod ingenium, cui libeat in ejusmodi desudare. In alium laborem, litteris perquamutilem, convertit animum Castrus, ut Mexicum pervenit: in quam urbem vocatus fuerat, non ut Theologiae vacaret, cujus curriculum, nondum ad Socios aggregatus, absolverat; sed ut Sacerdotio decoraretur, atque inde postremum philosophiae, theologiaeque, pro gradu in Societate obtinendo, periculum adiret. Hoc igitur intervallo inter Magisterium, et sacram Dignitatem, hispane dedit Francisci Verulamii latinum opusculum, sane aureum, cui titulus est: De scientiarum dignitate, atque incremento. Quam Verulamii translationem, summo tunc elaboratam studio, maximopereque utilibus annotationibus exornatam, diversis postea temporibus emendavit, et concinnavit; atque omnino perfectam cum commodasset amico, legerunt plures, et summis laudibus probaverunt, nec tandem auctori restituerunt. Hoc eodem intervallo familiaritatem iniit cum Josepho Campojo, summa eruditione viro, ut saepius demonstravimus: quae familiaritas, tametsi post modicum temporis interrupto contubernio, magni tamen sibi stetisse ad perfectum omnigenae doctrinae saporem, apud nos Castrus asseverabat. Ibi etiam in amicissimis habuit Clavigerum, et Parregnum, cum

qui-

quibus litterariae necessitudinis vinculo se se intime copulavit, ut cum Alegrio, Galiano, Davila, Cerdano, et postea cum Abadio, aliisque similis magnitudinis ingeniis; quibus indefesse adnitentibus ad omnigenam eruditionem, salutaris litterarum in Sociis Mexicanis instauratio maturabatur. Castrus ad Sacros Ordines evectus, continuo se se praestitit Societatis ministeriis; quae quidem in Divorum Petri, et Pauli Collegio, ubi commorabatur, ingentis erant oneris, frequentissime confluentibus ex urbe tota, qui Sacris Confessionibus expiari postulabant. Ab hujus muneris assiduitate, necnon a doctrinae copia, maturo judicio, mirabili naturae facilitate, pluribusque aliis dotibus, quae novum Sacerdotem distinguebant; singularem ipsi benevolentiam praestitit Emmanuel Herrera, vir summae prudentiae, Sociorum omnium delitiae, qui tum temporis conspicuum ejus Collegii Magistratum gerebat: quam benevolentiam Herrera litteris ad absentem non interrupte datis postea fovit, et ad suum interitum perpetuavit.

A praedicto periculo multis laudibus cumulatus, ire jubetur Angelopolim, in re pietatis tertio probandus: et statim singularibus ejus dotibus captus fuit Xaverius Solciaga, Queretari natus in Nova Hispania, senex emeritus, cui pares vel doctrina, vel vitae sanctimonia, Societas Mexicana certe paucos bino saeculo numeravit. Hic Solciaga quotidie ad statam horam Castrum conveniebat, ejusque ingenio mirifi-

rifi-

rifice delectatus, ad longum spatium eruditissimos cum illo sermones miscebat. A quibus colloquiis cum admiratione saepe rediens, palam Societati Mexicanae gratulabatur, quod Castrus, ejusque similes aliquot in Sociis aetate florentibus, clarissimam indolem ad scientias attulissent, ac plurium doctrinarum, longos annos ibidem neglectarum, et quarum esset utilitas non dubia, perfectum saporem adhuc aetate virides attigissent. Cum hoc amplissimo viro consilia sua Castrus eo tempore cuncta communicabat; eique corrigendas orationes, quas publice dicturus erat, deferebat. Detulit quamdam pro Mariana solemnitate primi nominis in Angelopolitanis; quam idcirco festinanter confecerat, quia repentino morbo impediebatur Josephus Tembra, ipsius avunculus, Doctor notissimis litteris, qui ad eamdem orator fuerat invitatus. Hanc orationem ut legit Solciaga, qui merito habebatur in totius Novae Hispaniae primis oratoribus; huic recens venienti ad munus gravissimum, magna cum laetitia gratulatus est, atque ejus minime tritam, sed certe securam viam docendi, delectandi, et movendi, justus rerum aestimator probavit. Alibi cadet opportunius, rationem commonstrare, qua suas Castrus orationes elaborabat. Angelopolitani quidem tantis plausibus exceperunt in ea solemnitate dicentem, ut saepius ad alias invitaretur, et inusitato eloquentiae generi semper acclamaretur. Neque vero in munus oratorium ita incumbebat, ut aliis, iisque operosis occupatio-

pationibus locum non daret. Plures habuit Angelopoli per id temporis familiares, in quibus primas obtinebat Joannes Frankius, artium medicae, et chirurgicae Doctor peritissimus, et summa sciendi cupidine insignitus: qui Frankius, aliique, quibus erant charae litterae, fere quotidie in Castri cubiculum conveniebant, ut eruditionem acciperent, atque utiliter tempus impenderent. Et ille quidem dare non negabat, quam habebat; sed vicissim obtinuit ab eis haurire, quam possent ipsi communicare. Atque ita per eos dies, plures de anatomicis rebus cognitiones accepit; nec intestinam hominis conſtructionem, et quaslibet ejus partes, etiam minutissimas, deinceps ignoravit. Et cum ex ejus consilio, de gymnasio pro Anatomicis ad Sancti Petri Xenodochium constituendo excogitatum fuisset; latinam orationem de Artis anatomicae necessitate, ac praestantia elucubravit ipse, quam alius publice diceret, quo die gymnasium aperiretur. Quae sane oratio tum ab latinitatis elegantissimo sapore, tum a concinna verborum proprietate, tum ab argumento sapienter admodum enucleato, maxime probata fuit ejusdem artis consultis.

Annum fere supra tres menses Angelopoli constiterat, cum operarius ad Veracrucenses designatur: quae commoratio apud cives natura urbanos, et Sociorum studiosissimos, gratissima fuit viro, cujus erat in primis dotibus genuina quaedam, nec technis quaesita popularitas. Ab eo tempore, nisi memoria nos fallit, habuit ex

pa-

Digitized by Google

paterna largitione copioſam admodum bibliothecam, quae libris exquiſitis in omni doctrinarum genere conſtabat, quae poſtmodum ad ejus arbitratum fuit adaucta, quam curioſis incluſam arcis, itinerum comitem, donec licuit, ſecum deferebat, et quae ubilibet illi erat curarum ſolatium, atque unum oblectamentum. Ejuſdem aetatis eſſe credimus Guatuſcorum Arcem latine ab ipſo deſcriptam; quae vetuſta Mexicanorum arx in ditione Cordubenſi, milliario a Corduba propemodum quadrageſimo, ad orientem Solem ſita eſt. Poſt paucos vero menſes Mexicum revocatus, in Profeſſorum domo biennium poſuit, ubi et pluribus e ſuggeſtu orationibus, et aſſiduitate in ſacro ſubſellio glorioſe inſudavit. Renuntiatus inde philoſophiae Magiſter in Queretarenſibus, et civium celebritatem, et magnum ſapientis nomen facile ſibi acquiſivit ab laudata oratione, quam ex munere dixit pro litteris inſtaurandis; in qua Tullianam latinitatem, et eloquentiam perfecte attingens, id argumenti propoſuit: Hiſpaniam, retento Ariſtotele, prudentiſſimam fuiſſe; adjunctis autem Ariſtoteli novis philoſophis, feliciſſimam futuram. Hic e veſtigio patuit, animo propendere novum Magiſtrum in eam philoſophiam docendam, cui recentis nomen vulgo datur: et propendebat certe, feciſſetque ſumma cum voluptate, niſi parcere maluiſſet inanibus aliquorum terroribus, qui ad quamlibet doctrinae novitatem in philoſophicis, ut ad equum Trojanum, trepidabant. Quare veterum ſententiae

tiae memor: *Frustra naveris, transverso flumine; tu obliquam carpe, nando, viam*, rationem docendi veterem retinuit; quam tamen aliquo pacto conatus est instaurare. Non explicuit, quae plura Cartesius, Leibnitzius, Newton, aliique clarissimi recentiores lumina philosophicis intulerunt; sed discusso sinceri Aristotelis pulvere, meram hujus doctrinam auditoribus proposuit: et quia Honoratus Fabrius, vir acri meditatione, summo studio, atque eruditione singulari, summis fuerat conatibus in Aristotele intelligendo; Fabrium ipsum assumpsit, quem maxime sequeretur. Cum dolore abstinemus a pluribus enarrandis de Castri dexteritate, ut Principis philosophorum succum, et sanguinem in suis dictatis auditores ebiberent; sed brevitate nobis proposita, veremur esse taedio, si minutatim omnia persequamur. Id liquido constat, nonnullos ab ejus disciplina prodiisse, quorum hodie clarum est nomen in Novae Hispaniae Sapientibus. Consuetum illum sermonem in exitu cursus philosophici, quo Magistri judicium de suorum auditorum merito publice pronuntiabant, ad optimae criticae leges, et elegantem stili concinnitatem elaboravit: qui sane sermo tantopere placuit eruditarum doctrinarum peritis, ut plura per urbem avide quaesita exempla legerentur, et in pretiosis litteraturae monumentis asservarentur.

Ab exacto philosophiae Magisterio Mexicum appellatus, in Divi Ildephonsi Seminario Minister constituitur: quo quidem in Ministe-

rio praeter plura, quae muneris erant, mirum est, in quanta, et quam diversa rerum genera vastissimam mentem diviserit; et quanto alumnorum, ac Seminarii bono, quantaque sui nominis celebritate, conatus illos adhibuerit. Ejusdem Seminarii typographica officina erat in rebus ex officio sibi procurandis: ob cujus quidem incrementum, et perfectionem tam egregie diligens desudavit, ut in hac opera diem totum consumere omnino videretur. Ut erat oppido actuosus, et industrius, et quocunque mentem adverteret, nunquam non metam attingebat; quidquid est artis typographicae, quambrevissimo tempore comprehendit. Mirifice perfecit ornamenta illa delineata, quae typographi solent in chartis ad arbitrium exprimere; quorum plurima (ut hujus artis a puero scientissimum fuisse demonstravimus) ipse suis manibus obumbravit. Binas ex aere durissimo laminas magnis sumptibus acquisivit, quae praelo supponerentur, atque ictibus in opera necessariis resisterent: nam quae prius ibi terrarum erant ex silice, non modico detrimento, et impendio rumpebantur. Per id temporis Mexicana civitas Carolo III. Hispaniarum Regi sacramentum praestitit, qui paternum solium conscenderat: et cum pro die solemnis pompae triumphalem arcum erigi Emmanuel Rubius Salinas, Pontifex Mexicanus, ad ejus palatii fores imperasset; rem totam describendam Castro commisit; prolixamque, ac magnificam ab eo descriptionem jussit idem Pontifex typis pervulgari. Quam sane

ne

ne descriptionem commendarunt justi rerum aestimatores tum a nitida hispani sermonis puritate, tum a mirabili stili facilitate, tum a Graecae Romanaeque eruditionis copia, tum vero ab Architectonices cognitionibus, quarum neutiquam esse expertem, affatim comprobavit. Alumnorum interea utilitati, profectuique litterario tantum dabat operae, tanquam omni alia solutus esset occupatione. Verbis urbanissimis, et miris industriis fovebat eorum conatus, qui, quo tempore cessabant ab studiis gravioribus, ad amoena se conferebant. His profecto diu, noctuque ad Castrum patebat aditus; nec opus habebant expectare consuetam horam, qua congregati quotidie plures ad ejus cubiculum, ipso Duce, ac Magistro, de litteris politioribus more academico tractabant. Quam hominis operam, sponte quidem assumptam, non leves fructus consecuti sunt in civibus, claro jam tunc ingenio, nunc ad Dignitates evectis, quos Castri doctrina, et conatus perpolierunt. Ante annos aliquot in eodem Seminario majorum scientiarum studiosi excitaverant Academiam de morum scientia: pro cujus instauratione, cum annus verteret 1760, latinam orationem elegantia, nervo, et majestate plenam scripsit Castrus, in qua multus agitavit, magnam eruditionis, et sapientiae copiam requiri, ut moralis Theologiae studium recte, ac feliciter instituatur.

Per eos dies Mexici, quo venerat recuperandae valetudinis causa, decesserat Josephus Tembra, Castri avunculus, Vallisoleti in Mi-

choacanensibus Canonicus: cujus in testamenti executione cum nescio quae difficultates oborirentur, Vallisoletanus Pontifex a Provinciae Rectore flagitavit, eo Castrum immitti; qui ratione cognationis, et notae jam dexteritatis in rebus agendis, idoneus creditus est, ut negotium illud involutum, et salebrosum explicaret. Ac sane imperatus ire, confestim advolavit, rem difficilem prudenter discussit, et brevi tempore feliciter enodavit. Paucorum mensium intervallum ibi constitit, nihil tamen indulgens otio: nam et civium bono praestabat operam in suggestu, et sacro poenitentiae tribunali; et cum Vallisoleti pompa tunc solemnis agitaretur, quam nuper Mexici factam diximus, de jurejurando in novi Regis obsequium, Castro commissum est, ut poeticam laudem concinnaret, quae, tota confluente civitate, juxta Pontificis palatium publice diceretur. Et confecit ille drama elegantissimum, in quo cum Ulysse contulit Carolum; quem, fingebat, peregrinatum exiisse, Minerva comite, ut regnare condisceret, ab eaque fuisse in thronis collocatum Parmensi, Etrusco, et diuturnius in Siculo; quod Ulyssi theatrum errorum extitisse, Poetae somniarunt; et reapse Carolo fuit locus illustrium facinorum, et imperii ad quinque lustra in Neapolitanis annalibus memorandi. Ab utriusque in Siculis peregrinantis collatione, praesagiebatur, Carolo redeunte ad suos, Hispaniae felicitas. Incredibiliter acclamarunt auctoris ingenio, poeticisque leporibus cives universi; qui

gra-

gratulationis causa certatim ipsum conveniebant. Post modicum vero spatium, Guadalaxarae in Nova Gallecia, Marianae Sodalitatis Praefectum designavit Castrum summus Provinciae Moderator: cui sane adimplendo muneri totas vires exeruit, accuratissimum, et diligentissimum se gerens, ut Sodalitii census tueretur; ut honorem Sodalibus debitum, aeque omnibus dispensaret; ut orationes in publico ipsorum conventu dicendas, tum nervo rationis, tum crebris ex Sanctorum Patrum thesauro sententiis, tum Sacrorum Codicum eruditione conspergeret. Ab liberali consuetudine, ab ingenio benefico, et populari, a doctrinae copia in alienum bonum ubilibet redundante, complures cum externis amicitias, ut passim alibi, sic et Guadalaxarae sibi comparavit. Sed potissimum demeruit intimam necessitudinem cum Francisco Lopezio Portillo, ibidem Regio Senatore, viro ab litteris, et Senatoria gravitate, tunc Guadalaxarae, postea Mexici notissimo; cujus in praecipuis fuit laudibus, quod vix aliquem audierat in litteratis annumerari, cujuslibet ille fuisset ordinis, in ejus captanda familiaritate continuo totus erat. Hanc illustrem amicitiam et praesens coluit innumeris significationibus Castrus; et eo postmodum absente, natum inde fuit utrinque eruditum per litteras commercium, ad alterius mortem perpetuatum. Utinam et has litteras typi pervulgassent, sane dignas, quae in eximiae litteraturae tantorum virorum monumentum legerentur! Cui certe amico tum incredi-

bilibus benevolentiae signis, tum eo praesertim se se obstrictum, apud nos Castrus profitebatur, quod ejus auctoritate obtinere potuit, ut civitatis tabularia sibi reserarentur; atque ibi, tanquam in fonte incorrupto, de privatorum familiis, de urbis annalibus, de legibus, de jure publico fuerit eruditus. Historia nimirum et naturalis, et religiosa, et civilis, et litteraria cujuslibet loci, quem incoleret, nunquam non ei fuit in praecipuis amoribus: quare cum plures noverimus, qui ejusmodi rerum investigatione delectentur; qui Castro in his fuerit cumulatiori notione, vidimus certe neminem. Vix ille adolescens, ubicunque commoraretur, mentis oculos ad res etiam minutissimas aperiebat: et qua plures vel quia debiles ingenio, vel quia non educati ad optimum litterarum saporem, vel quia rerum curiositate non tacti, nihil animadvertentes transibant; Castrus, a juventa maturo insignis judicio, intentissime videbat, observabat, intelligebat. Quod si his adjeceris ingenuam sinceritatem, qua laudabat, et vituperabat, ut vere Sapiens, qui duntaxat in humanis affirmat, quae vel oculis vidit, vel ratione discussit; sane argumentaberis, multum auctoritatis tribuendum esse ipsius verbis, quoties rem omnino asseverabat.

Tentatus Guadalaxarae calculi morbo, Tepotzotlanum appellatus est, ubi requiescens parumper ab sudoribus, confirmaretur valetudine. Sed quod ab aliis cessabat laboribus, in cubiculi silentio dabat libris: nec enim unquam potuit

tuit vir summopere studio deditus, temporis particulam otio concedere. In ea quidem ab externis operis requie, modico spatio post ejus adventum, semel, et iterum in domestico Templo dicentem ipsum audivimus. Et parabat orationem de Divi Xaverii rebus gestis, quae inter praecipuas erat in eo Collegio; cum, jam urgente solemnitate, valida febri correptus est, ac dies ultra viginti tanto in periculo versatus, ut parum abfuerit, quin immatura morte a nobis deficeret. Ab hoc autem morbo restitutus, Juris Canonici Magister ad Emeritenses in Jucatanis designatur: quod erat Magisterium anno proxime superiore ibi fundatum, bono civium, qui prius ejusmodi doctrinae peritos, nisi aliunde importatos, et copiosa mercede donatos, non habebant. Franciscus Zevallius, praeter alias dotes, judicii prudentia clarissimus, ut summum in Sociis Mexicanis Magistratum adivit, facile intellexit, huic muneri deberi virum, non solum excellentia doctrinae, sed etiam rerum gerendarum dexteritate consummatum; et qui non in umbratilibus vigiliis, sed in pulvere Academico disciplinas exhausisset: agebatur enim de novo gymnasio, novoque Doctorum Collegio, quod inde nasceretur, in urbe frequentissima aedificando; nec profecto Academiae jura, ritus, instituta, privilegia, caerimonias commode potuisset inducere, nisi qui disciplinam Academicam a teneris excepisset. Castrus ergo ad hanc arduam Provinciam designatus, fere quatuor annos in operoso munere posuit; at-

que Academiam Emeritensem (cujus erat sedes, ut alibi demonstravimus, in Collegio Sociorum; ejusque Rector, qui Sociis praesidebat; et doctrinarum Magistri, qui ad hoc munus a supremo Provinciae Praefecto mittebantur) hanc, inquam, Academiam Castrus novo Juris Canonici studiosorum Collegio adauxit, et legibus apprime idoneis ad exquisitae prudentiae normam constituit. Quod sane fuit ingentis operae, quam nisi vir oppido actuosus, et summae alacritatis, tam brevi tempore neutiquam exegisset. Dictavit in publico gymnasio Commentaria in quinque libros *Decretalium* ab eo libri primi capite, cui titulus est, *De officio, et potestate Judicis Delegati*, ad libri secundi quartum. Quibus in Commentariis tam eleganti, et facili calamo difficilia quaevis enucleabat; suaque proposita, summorum virorum auctoritate, Pontificum decretis, Ecclesiae moribus ita confirmabat; ut plane constaret, non ea tunc discere, ut condocefaceret; sed consummatam in his rebus doctrinam attulisse. Praecipuis vero conatibus procuravit, quo sibi ampliorem eruditionem discipuli ejus compararent, ut praeter gymnasii chartas, domi unusquisque darent operam Francisco Gasparro, qui certe auctor et sententiarum delectu, et prudenti judicio, et stili commodissima compressione, ac mirabili claritate praecellit: quem ille auctorem in cubiculo, praeter horas publicae scholae datas, ultro confluentibus explanabat. Auditores habuit ex urbis primoribus fere omnes;

nes; quorum plures adulta jam aetate, cum juventa permisceri passi sunt, ut iis disciplinis, in patria novis, initiarentur. Atque ita Juris Canonici peritos, qui Reipublicae utilitati consulerent, Emeritae creavit, atque educavit.

Ejus etiam opera novus ibidem creatus est Magister, qui Juris Civilis instituta traderet: quae nimirum instituta in Academiae honorem, et civium emolumentum omnino necessaria judicavit. Primus ad hoc Magisterium evectus est Emmanuel Villanova, Castro amicissimus, vir Hispanus, tunc ab Rege Assessor Praefecto Jucataniae, postea Senator in Guatimalensibus, ac deinde in Mexicanis; ad quos tamen cum iter ageret, Tehuantepechii postremum diem obiit. Castrus vero tantis in rem publicam occupationibus agitatus, in cubiculi solitudine (quibus nimirum horarum particulis vacare sibi poterat) indefessus dabat operam aliis eruditionibus, quae tamen nunquam essent ab hominum, et earum praesertim gentium, in quibus diversabatur, bono sejunctae. Curiosissimum scripsit opus de rebus exquisitis, et singularibus, quas Jucatania parturit; de facilique ratione, qua posset ibidem gentium commercium amplificari. Quod quidem opus ut conficeret, nullam non adhibuit operam, et laboriosam industriam, ut regionis naturam perfecte intelligeret: quippe ipse per se, quantum otii dabatur ab suis muneribus, omnia discutiebat, patientissimus observabat, pluraque, cum opus esse crederet, ad experimenti trutinam demonstrabat. Ubi autem

suos

suos oculos ferre non poterat, ab sincerae fidei, maturique judicii familiaribus, quorum plures habuit in Jucatanis, assidua solertia investigabat. Ita demum colligere potuit innumeras cognitiones de animalibus, de multiplici exquisitorum lignorum genere, atque aliis fertilissimae Provinciae fructibus; ut etiam de artium statu, deque indigenarum ad ipsas artes industria, felicissimaque natura. Quae singillatim omnia limpidissimo calamo tractavit, ac Marte suo plura exprompsit, quibus fieri cives possent opulentiores, et quam morum culturam habebant non mediocrem, artium incremento adaugerent. Nec omisit, idoneum navali esse locum, et mirificam Jucatanorum dexteritatem, naturamque idcirco propensam ad ea, quae sunt maris officia, quia magnam peninsulae partem mare circum alluit. Aliud scripsit opus de peculiari modo salis conficiendi, ejusque vetustissimo commercio in Jucatanis: quod erat plane historicum, ac mire dilucidatum; fuitque ab rerum eruditione, peritiaque suo loco explicandi singula probatissimum. Alibi a nobis memoratum est, quae creata fuerit ab Americis Hispana virtute subjugatis conspicua Dignitas, quae vulgo *Encomienda* dicitur, et quam Romanorum olim Patronatibus fere comparandam existimavimus. Hujus ergo Dignitatis a Jucatania domita historiam Castrus exaravit; ac longa eventuum serie probavit, quanto bono tum Patronorum, tum Clientium, et quam unanimi utrorumque consensu ad eam ibi perpetua-

ta

ta fuerat aetatem ; tametsi in aliis Provinciis, ob rem aliter administratam, interierat. Per id etiam temporis cum ex munere debuisset Academiae Rector judicium suum aperire; num auferri oporteret a Coenobitis Franciscanis, quas ab initio *Parochias* administraverant? negotium Rector ille commisit Castro; qui longum sane dedit scriptum, in quo multus demonstravit, anteactam aetatem memorans, retinendos esse in munere Coenobitas illos, nullo unquam tempore non optime meritos de Jucatanorum Republica. Et ea, quae publicis tunc litteris testatus est, postmodum apud nos pluries confirmavit, omnino fuisse debita virorum merito, qui bino jam saeculo nihil interruptis laboribus in civium emolumentum desudaverant. Plura silentio praetermittimus, quae vel amicorum precibus, vel Magistratuum imperio scripta dedit; atque admodum dilucidata; in quibus omnibus et patrii sermonis puritas, et excogitandi prudentia, et ratiocinandi vis, et cives juvandi studium, mirum in modum excellebant. Sed quod mirere potissimum, in hoc tam gravium occupationum aestu, multus etiam erat Castrus in Sanctimonialibus ad vitae perfectionem instituendis, in sacris orationibus vel in Sociorum templo, vel passim per urbem, in animis poenitentia expiandis, in aliisque ex disciplina domestica ministeriis. Ad haec, ab Emeritensi Pontifice saepe vocabatur doctrinae Judex, ut eos publice tentaret, qui vel ad Sacros ordines, vel ad munus judicandi animos in poeni-

ten-

tentiae subsellio, provehi postulabant. Quare saepius in colloquiis intimis a Castro audivimus, omnino se obstupescere ad tantorum laborum nulla fere intercapedine memoriam; et naturae suae viribus pensatis, plane intelligere, nihil non posse hominem, cum aliquod vitae genus, utcunque operosissimum, non quidem temere ductus arrogantia, sed a Numine appellatus, aggreditur.

In his totus erat, cum, nescio quibus Emeritensis Academiae negotiis instantibus, ab eadem Legatus, annuente Sociorum Magistratu, Mexicum iter arripit: quo vix pervenerat, ab summo Provinciae Rectore mandatum accipit ibi remanere, in domo Professorum ad operam destinatus. Qua quidem in urbe continuo manum admovit ad parandam silvam, pro Historia Coloniae Cordubensis in Mexicanis describenda; cum, id obsequium ut patriae praestaret, Decuriones Cordubenses enixe ab eo postulassent. Ac plura jam in adversariis ad historiae fabricam collegerat, opusque inchoaverat, binis columnis, latina, et hispana, sibi respondentibus; cum, Sociis Mexico depulsis, rem imperfectam reliquit. Hac etiam aetate nondum defecerat a proposito Cortesiadem canendi: quod sane propositum, nihil obstantibus tam variis peregrinationibus, atque operosis muneribus, viginti fere jam annos fervidus aluerat, et mirabili constantia foverat, nunquam ab spe decidens, aliquando sibi fore secessum, et otia, quae cum Musis erudite consumeret. Ad eam pro-

profecto aetatem haec illi otia non contigerant, ut *os magna sonaturum* pararet, totusque intenderet minutissimis poeticae dictionis Veneribus; qualibus constat otiis functos esse Virgilium, Camoensium, Tassum, quorum alter duodecim annos, alteri plura lustra in suis carminibus, omni alia mentis cura soluti, posuerunt. Castrus autem ab hac heroici sui carminis assidua cogitatione pretiosissimum cognitionum, eruditionisque tum sacrae, tum profanae thesaurum in animum derivavit suum. Forte fortuna per magnam Novae Hispaniae partem itinera cum egisset, omnia considerabat attentissimus, et huc praesertim studia sua collineabat, ut loca curiose lustraret; ut antiquorum Indigenarum mores, et indolem, et artes, et religionem, et civilem culturam, et quae monumenta supererant, et quae temporum injuria fuerant collapsa, minutatim cognosceret; ut priscos incolas cum novis conferret, atque inde certior fieret, quid in artibus periisset, quid omnino maneret, quidve fuerit post gentem domitam cum sanctae Fidei, vitaeque humanioris bonis introlatum. Hos autem conatus idcirco diligentissimus adhibebat, ut quoties in suo carmine loca describere, vel mores attingere ferret occasio; nec antiqua cum novis confunderet, nec latum quidem unguem a via veritatis aberraret. Praecipuum vero fructum habuit ab eo non interrupto ardore Cortesium cantandi, quod Divinos Codices assidua volvens opera, magnis doctrinae sacrae ornamentis instructus est. Id enim

nim argumenti assumpserat in heroicum illud: Evangelii propagationem per Novum Orbem, longis aetatibus Orbi Antiquo non cognitum, praeparatam esse in Sacris libris, quae sunt Divinorum consiliorum tabularia, studiis hominum, et conatibus reserata; post eam vero providam praeparationem, America nota, et Christo in illam inducto, Sanctam religionem adversus recentium errorum signiferos demonstratam. Haec admodum utilia, sublimiaque ut erudite tractaret, multam dedit operam clarissimis Ecclesiae Doctoribus; et illustrissimi Pontificis Hueti, ac peracuti Vieirae, magno nomine Sapientum, vestigia secutus, ad sanioris criticae regulas plura in Divinis libris arcana investigavit; et summis, atque accuratis conatibus tanta demum super his collegerat, ut Evangelicam Praeparationem, et Demonstrationem in Americanis, instar duorum Eusebii Cesareensis voluminum, facile scribere potuisset. Totum jam mente creaverat magnum opus, quod libris duodeviginti constare debuerat; et quo quaeque disponenda essent loco, felicissime distribuerat: nec magni sibi stetisset, venustum Fenelonis Telemacum imitari, si metro solutus omni, Poema conficere voluisset. Quod autem metri est, postquam diu dubius, et anceps haeserat, illud tandem sibi duxit adhibendum, quod Silvae Liberae nomine hispane diximus appellari: rejecit enim, quos excogitaverat patrios hexametros, ne, si tentaret ipse hispano carmine, quod latino Pacuvius, Cortesias

sias omnino negligeretur. Mexicum igitur Emerita remeans, perfectos attulit binos libros, et fere dimidium, quos uni, et alteri ex familiaribus, optima quidem litteratura viris, Mexici legendos, et censoria virga notandos crediderat.

Ingens autem ea silva, quam pro heroico carmine paraverat, foecundissima fuit illi materies omnium fere orationum, quas e suggestu dicebat: nihil enim publice tractandum assumebat, quod velut folia, et frondes ab hoc stipite non esset. Ac saepius aliud agere videbatur, cum sensim, et sine sensu in hoc argumentum veniebat: Totum sane orbem, atque in eo quamrecenter Americam, sapientissimae Providentiae testem esse, qua suum hoc theatrum Deus administrat; cujus est, ut plurimum, res praemonere, ut, cum evenerint, nihil admodum causari possimus, cur, cuncta gubernari a Numine, plane non crediderimus. Vix unquam non audires ejusmodi aliquid in sacris Castri orationibus; quod et modis innumeris ad praesens argumentum variabatur, et novitatis aculeis auditorum curiositatem pungebat, et animos mirabiliter intentos tenebat, efficaciter movebat, suaviter delectabat. Oratoriam eloquentiam, a juventa censuit, ebibendam sibi esse in Aristotele, Tullio, Quintiliano, Hermogene, Luciano, Longino, quos dicendi fontes purissimos perquamavide legebat, ut quam illi, sua quisque lingua, concinnam, et elegantem structuram adhibuerunt, eamdem ipse, quoad posset, in hispanas orationes transferret.

Om-

Omnino abstinuit ab studiorum partibus, in quae Mexicani Oratores, hunc, aut illum auctorem immodicis laudibus extollentes, ea tempestate scindebantur; indignum Sapiente reputans Pythagoreorum morem, qui non obsequium rationi, sed Magistri auctoritati praestabant. Legebat, observabat, meditabatur Ecclesiae Patres, quos eloquentiae sacrae Principes veneramur; ex recentioribus autem optimos quosque Oratores, quos nullo quidem habebat discrimine, sive Hispani essent, sive Galli, sive Itali, sive Lusitani; quas omnes linguas cum perfectissime intelligeret, aeque delectabatur peculiaribus illarum venustatibus, et stili elegantia, quam earumdem optimi auctores posteris imitandam reliquerunt. Ad haec, saepe habebat prae manibus criticorum libros; et eos legebat majori accuratione, quorum erat propositum, Oratorum vitia refellere. Atque his tantis conatibus in eam dicendi laudem pervenerat, ut eum inter principes in Sociis Mexicanis jure merito numerares: proponebat enim feliciter, purissimo sermone utebatur, incredibiliter efficax persuadebat, argumentum eruditissime tractabat, ab sacra loci gravitate nunquam recedebat. Praeterea sonum vocis habebat limpidum, et canorum, gratissimam oris elegantiam, laudabilem gestus modestiam, litterarum omnium appellandarum miram, et genuinam suavitatem. Et quanquam copiosior esset paulo fortasse, quam expediret; id certe vitio non verteres, cum auditores ab ejus ore suavissime pendentes, et

lon-

longiorem orationem desiderantes intuereris. Unum merito reprehenderes in Castro vel dicente, vel scribente: quod non sibi semper constans esset, atque a grandit ate verborum interdum caderet. Id autem minime tribuendum inopiae mentis, quae nesciret sublimia sublime tractare; sed quod stili claritati plus justo indulgeret, quod naturam immodice quaereret, quod artificiose, ut ita dicamus, artificium fugeret. Quidquid autem de hac stili macula fuerit, lugendam litteris jacturam credimus, quod sex, octove sacrarum suarum orationum volumina non limatius concinnasset, ac typis dedisset, ut Mexici cogitabat.

Sed injuria fuit temporum, et revulsus ab suis lucubrationibus, quas omnes Mexici reliquit, solum vertit cum Sociis; et immensos terra, marique labores, et incommoda perfunctus, tranquillam gravitatem, et consuetum librorum oblectamentum toto peregrinationis tempore non deposuit. Jamjam ad Corsicae conspectum, unus fuit in naufragio, quod, Clavigerum describentes, attigimus; in quo quidem subito casu mirabilem animi firmitatem, et interritam constantiam demonstravit. In eam vero insulam appulsi, cum, rebus maxime perturbatis, omnes ad servilia cogerentur; Castrus a contubernalibus culinam sibi poposcit, insuetum officium exercere pollicitus: et quasi longos annos in coquinariis meruisset, ipso fere mense datam fidem liberavit. Italiae tandem continentem attigit, atque in Divi Petri Castro, qui vicus est

in ditione Bononienſi, conſedit. Ibi autem a Joſepho Bellido, qui Sociorum pubem gubernabat, in eorum domum appellatur; ut nimirum haec pubes, quae domi non habebat Sacerdotem, niſi Miniſtrum, atque unum ex Theologiae Magiſtris, virum optimo animo, ſed triſti, ac difficili natura; Caſtrum haberet tertium, cujus erat nota pietas, et doctrina, et humanitas, et aliae dotes, quibus afflictam recrearet, atque erudiret. Poſt modicum vero temporis, cum aliquot ex Mexicana juventa provehendi eſſent ad ſacros ordines in Foropopilienſibus; Caſtrus fuit eis comes additus, qui et initiandis lumen eſſet, ſi quod occurreret dubium, et Franciſco Columbano, ibidem Pontifici, Provinciae Moderatoris nomine gratias referret. Cui ſane Columbano gratiſſimus accidit Caſtri adventus, quicum longum horarum ſpatium ſuaviſſimis colloquiis traducebat; ejuſdemque tum religioſa conſuetudine, tum eleganti affabilitate, tum natura prorſus facta ad Italorum mores, tum ſumma eruditione, ac doctrinarum univerſitate incredibiliter delectabatur; nec mirari ſatis poterat, peregrinum hominem, ab orbe novo recentiſſimum, tam expedite, ac faciliter perveniſſe in itali ſermonis proprietatem, ac minutiſſimas elegantias. Rediens in cubiculi receſſum, occaſionem reperit calamum exacuendi, et primum opus in Italis conſcribendi. Res autem fuit ejuſmodi: Aragonii Socii, quibus in Italos tranſlatis, perinde ac ſi patriam incolerent, Muſae fuerunt in primis amoribus, litte-

rarios

rarios ludos, excolendae suae pubis causa, Ferrariae celebrarunt; et qua sunt urbana elegantia, Socios omnes, et praesertim Mexicanos, quorum magna ibidem copia erat, ad certamen propositum invitarunt. Hac de re Castrus ab amico fuit per litteras monitus; et cum in datis argumentis primum esset Oratio soluta sive graeca, sive latina, sive hispana, adversus hodiernam tradendae doctrinae rationem; patria lingua oppugnavit ille plures docendi vias, egregia certe forma propositas, levissimas tamen, et quae ineptis fultae compendiis, litteratum solidum non efficiunt; in quarum auctores Actionem Oratoriam contexuit, longissimam illam quidem, sed nervo, et doctrina, et judicio, et salibus, et elegantia plenam, et quae fuit ab ludorum judicibus excepta summis laudibus, et cum aliis excellentium ingeniorum operibus praemio coronata.

Post annum fere in eo vico transactum, Ferrariam Rector immittitur, qui Mexicanorum domum administraret: in quo munere vigilem, et industrium, et omnino prudentem Magistratum se gessit, ad suavissimae charitatis, et maturi judicii leges omnia perpendens: ut profecto doleamus, non ei contigisse tempora, in quibus eximiam gubernandi peritiam abundantius commonstrasset. Hoc eodem tempore narrationem historicam scripsit de Graeca lingua in Novohispanis exculta, cujus elementa in Academia Mexicana Magistri plures tradiderunt: quos inter Magistros principem obtinuit locum

Martinus Castillus, coenobita Franciscanus, qui et grammaticam graecam suo marte confecit, ac perquamutile graecarum litterarum studium in ejus aetatis adolescentibus propagavit. Et nos quidem Martini grammaticae multam operam intenti dedimus; nec aut Patavinae, aut alteri ex recentioribus inferiorem existimamus. Ex imperio Josephi Utrerae, qui tunc erat summus Provinciae Rector, accuratissime adlaboravit in Academia excogitanda, quae Sociis Mexicanis viam facilem aperiret, ut pluribus doctrinis erudirentur: quo quidem in labore tametsi jam sponte desudaverat Clavigerus, ut in ejus vita memoravimus; Utrera tamen multorum audire consilia voluit (ex iis nimirum, quorum notus erat optimus doctrinarum sapor) ut id tandem decreto suo confirmaret, quod esset tempori accommodatius. Castri normam, et regulas de Academia instituenda mirifice probavit Utrera: et quoniam inter alia, graecae linguae utilitatem ille summopere commendabat, aliquot Mexicani juvenes destinati sunt, qui sub Josepho Petisco, Castellanae Provinciae Socio, viro multis nominibus clarissimo, atque harum litterarum peritissimo, graecas disciplinas edocerentur. Ad suam etiam Cortesiadem Ferrariae volvit cogitationem; sed omnino experientia sibi comprobatum ipse fatebatur, nunquam optima, nisi ab animo sereno, carmina provenire. Tentavit nihilo secius, et primum librum confecit doctissimis annotationibus concinnatum, atque avida curiositate a nobis lectum: sed quod

ad

ad heroici carminis dictionem attinet, plane quidem vidimus, ei jam defuisse vigorem illum, amoenitatem, et veneres, quas tantum opus postulabat; et quas, ab aliis ejus carminibus argumentamur, in ore Castri, dum aetate floruit, sessitavisse. Nimirum canis favere Calliope non solet. Loquimur autem de heroicis argumentis, quibus longa mentis intentio, eaque semper ad sublimia tendens, dari debeat: nam quod est de alio poeseos genere, quod egregios illos conatus non requirit, et quod cum omnis aetatis hominibus familiarius versatur; suavissimum plectrum suum, et oppido mirabilem facilitatem, sexagenario major Castrus, ut videbimus, intulit in sepulchrum. Et sane postrema aetate nobiscum colloquens, ajebat: *Cortesium cantabit Homerus ille, quem ad sublime hoc opus Musae destinaverint: illas enim, credo, a me duntaxat postulasse, ut rem magnam excogitarem, quam alter, qui me sit melior, et mente vegetior, exequatur.*

Ferraria Bononiam cum immigrasset, alteri Sociorum domui praeficitur: quam tamen vix annum gubernaverat, cum, extincta Societate, vestem commutavit; sed plenus religione, ac solidis de novo statu cogitationibus, omnino fuit idem animo, quamquam alius ab alia rerum specie videretur. Quod de Campojo, et Vallarta diximus, in sermonem ultro quaesitum saepius venisse de obedientia Christi Vicario debita, et hanc ad Socios plane obsequentes, atque ex animo summissos auctoritati Pontifi-

 cis,

cis, praedicasse, id ipsum magnis conatibus, et summa facundia Castrum identidem facientem audivimus. Ab eo quidem tempore charius fuit illi quam antea, latere diu, noctuque in erudita cubiculi solitudine; rariusque in consueta cum suis civibus communione videbatur. In hoc autem ab suis recessu, qui nonnullos paululum offendit, si quod fuit crimen, repetendum est ab ea sciendi, et elucubrandi aviditate, qua semper exaestuabat: nam ob insignem eruditionem, et popularem gratiam expetitus, et appellatus ad consuetudinem cum externis, ab eaque ad assiduum per litteras commercium; quidquid otii supererat, in charissimis libris consumebat. Et nos profecto, quibus intima fuit cum Castro necessitudo, jurejurando possemus confirmare, quanti faceret ille suos Mexicanos, tum omnes, tum singulos; quantusque ad ipsorum res laetas exultaret, atque eorumdem calamitosum quemlibet sincero luctu prosequeretur. Quae benevolentia in Mexicanos ex eo maxime patebat, quod tametsi magnis urgeretur occupationibus, neminem tamen, qui ad se accederet, non humanissimus excipiebat, aut postulanti officia denegabat. Vix ullum invenires in tanto numero, qui, sive poeticum, sive oratorium, sive historicum, sive alterius argumenti quodvis opus cum conficeret, non censorem optaret Castrum, atque obtineret. Campoii, Abadiique amicitiam usque ad ipsorum obitum sanctissime coluit: et primi vitam, moresque scribere cogitavit, atque incepit; quam-

quam

quam innumeris uno ex alio negotiis obrutus, imaginem non perfecerit. Perfectam vero reliquit Alegrii vitam, cujus ingenium ab utriusque tenellis annis noverat, et quicum longos annos vixerat, ac familiariter usus fuerat. Cujus veteris, et intimae familiaritatis causa maximopere miramur, ex Alegrii Theologicis nihil prorsus in manuscriptis legisse Castrum, nisi quae pauca post auctoris mortem, alterius ingenium elaboravit, ut postrema operi manus imponeretur. Clavigerum ab ingeniorum, et maturrimi judicii similitudine singulariter dilexit; nec, nisi alterius interitus, canam amicitiam diremit: quem sane Clavigerum et consilio non modice adjuvit in Historia Mexicanorum scribenda; et pro vita functo, tristissimis, et uberrimis lacrimis ploravit; et eo nondum terrae mandato, Florentiam immisit meritum, et sincerum ipsius elogium, quod litterae nuntiae publicarent; et absolutam ejusdem imaginem hispanice postea dedit; a quo fonte nos plura exhausimus, cum Clavigerum describeremus. Id enim inter primas animi virtutes eminuit in Castro; quod in ea meriti excellentis quasi finitima vicinitate, quae sibi fuit cum primis ingeniis, nunquam lacerari passus est obtrectatione, aut invidia; nec laudibus alienis gloriam suam vel minimum obscurari putavit. Quare liberaliter profusus erat in aliorum dictis, vel factis, vel mentis operibus extollendis, ubicunque meritum inveniret; nec semel nobiscum risit copiosissime, multisque salibus hilaravit sermonem, cum de

invidiae foeditate, atque inanitate ageretur. Et ingenuus iste candor, et aperta hilaritas, et suavis urbanitas, et religiosa consuetudo, et italicorum morum studium, et eruditissima facundia, cum externos latere non potuerint; mirum est, quantas illi amicitias attulerint, ac boni nominis odorem, qui per Bononiae nobilitatem serpsit, atque in Ferrariam, Florentiam, Liburnum, Lucam, Mantuam, Mediolanum, Cremonam, atque in alias Italiae urbes latissime transcendit. Quod si non alia, magna certe fuit Castro gloria, quod longos annos amicitiam ejus coluerit, ipsumque incredibilibus benevolentiae significationibus decoraverit Joannes Franciscus, ab Ala cognomine Marchio, Comes a Ponzonio, Patritius Cremonensis, quem in patriae primis honoribus ingentes naturae dotes, atque animi virtutes exornant.

Nos autem nunquam mirari satis potuimus, quo pacto Castrus in tanto cum hominibus commercio priscam cum Musis consuetudinem non modo non abruperit, verum et innumera postremis vitae annis opera confecerit; quorum fere omnia summa cum admiratione, ac jucunditate nos legimus. Nec aliter credimus, id effici potuisse, nisi productis ad oppido adultam noctem vigiliis, atque horis imprudenter detractis ab somni desiderio; quod in homine pingui, crassisque humoribus constituto, tribus, aut quatuor horis exsatiari non poterat. Nec semel ab ipso intelleximus, cum illum mane conveniremus, totam se noctem elucubrando con-

consumpsisse; tunc vero animadvertisse, cubandi tempus esse, cum dies illuxerat. Pro fracta ejus valetudine, non modici fuit laboris, Phaedrum totum in hispanum carmen convertere; longissimas aeque, atque eruditissimas annotationes adjungere; ac praefationem apponere, in qua et mire subtilem super ejusmodi conversionibus doctrinam tradit, et plura de Phaedri vita, variamque, ut fuerunt tempora, de ipsius Fabulis opinionem commemorat. Quod opus Ferrariae inchoatum, sed longos annos abruptum, in postremis canis resumpsit, eaque venustate, atque elegantia perfecit, ut delecti judices aliquot, qui de ipso pronuntiarent, omnino dignum censuerint, quod in gymnasiorum emolumentum typis pervulgaretur. Quod hispanae puritatis, et concinni carminis est, nihil ibi certe desideres; quod autem ad perfectissimam conversionem attinet, pene verbum verbo reddidit, non facile imitabili proprietate, atque elegantia. Sane vidimus neminem, qui difficilia quaevis ab uno in alium sermonem verteret pari facilitate, atque ille facere solebat; ut fere verbum in auctore non legeres, cui non omnino simile in versione consonaret. Ita vertit etiam Senecae Troades in hispanum Carmen; ubi scenae nonnullae sunt, quae latinum auctoris metrum imitantur: quod eo fecit animo, quemadmodum alias fecisse demonstravimus, ut palam esset omnibus, posse aliquando hispanice cantari metris plenioribus, quam ea sunt, quibus hactenus poetae nostri cecinerunt. Vertit

tit autem Troades, non quod hunc Tragicum, utut virum ingenio laudabilem in paucis, imitationi proponendum crederet; sed quia cogitarat similem Euripidis tragoediam vertere, binisque inter se collatis versionibus, plane commonstrare, idcirco ab optimo sapore discessisse tragicos, et Comicos in Hispanis, quoniam Graecorum exemplaria neglexerant, et Senecam, ut magnis virtutibus, ita et paribus vitiis refertum, imitari studuerant. Et quoniam de versionibus ejus loquimur, chartarum habebat fasciculum molis non mediocris, in quo permixte colligebat ea carmina, quae de variis argumentis, ut se dabat occasio, conficiebat: ibique inter alia reperires hispane ab se redditas aliquas Boileavii satyras, plures Juvenalis, alias Horatii, necnon Anacreontis odas aliquot, et binas poetriae Saphus, quae supersunt; et plura Virgilii, Hesiodi, Miltonis, Jounghi, Popis, Ossiani, Gesneris, aliorumque illustrium auctorum loca: nihil enim antiquius habuit, quam ea, quae sibi maxime placebant in bono quovis auctore, vel orator esset, vel poeta, vel historicus, hispane convertere: tum ut huic linguae majestatem, pulchritudinem, copiam minime deesse demonstraret; tum ut eas veneres in peregrinis auctoribus repertas, patrio sermone suis civibus propinaret. In Graecis quidem vertendis, quoniam graece mediocriter sciebat, non admodum facilis erat; Germanos autem, et Britannos, quorum omnino sermonem nesciebat, ab aliis versionibus hispane reddebat.

Scri-

Scripsit etiam hispano carmine litteras mirum in modum utiles, et venustas, quas appellavit Horatianas; et quod Horatii stilum secutus est; et quod plures ejusdem sententias, ut nonnullas Persii, Juvenalis, aliorumque scriptorum ex primis ejus aetatis, quam vocamus Romanorum auream, in suum argumentum traduxit. In his litteris, Lupio Vega, viro ingeniosissimo, et maximi nominis in Hispana Comoedia, quasi rapto in judicium, ut ingenii sui; studiorum; et carminum rationem redderet; eruditam, et copiosam criticen disseminavit, ut in Hispana pube sapor optimus instituatur. Et re quidem artes ibi dedit tum poeticam; tum oratoriam, quae totae versantur in Hispanae litteraturae monumentis. Ut patriam poesin; quoad posset; adjuvaret; cum brevi elogio describeret Joannam Agnetem, Sacram Virginem; et famosissimam poetriam in Mexicanis, hispanam odam, quam illa novo metro cecinit, eruditis annotationibus illustravit, et nitido; ac doctrina pleno resolvit sermone, in id potissimum intendens, ut mire accuratus mensuras accentuum explicaret, quas adhibuit Joanna in eo metro, quod ipsa primum invenerat. Sed non alias tantum hoc in genere desudavit, quantum in hispana Prosodia; novae quidem formae, conficienda: quod aureum sane opus quia summae curiositatis; atque utilitatis est, in quo nimirum legas profundas tanti viri meditationes; et minutissimas observationes, quas annis ultra quadraginta collegerat; operae pretium erit, si majo-

majori, quam in aliis, diligentia utamur, in hujus thesauri natura patefacienda. Statim ergo ab initio, more Geometrarum, prima Prosodiae, sive Accentuum elementa instituit, quibus brevem syllabam ab longa discernas; et haec elementa, multis evincit rationibus, omnino esse debere linguis omnibus communia. Historice postea narrat, haec eadem fuisse Graecorum elementa, quibus harmonicam suam Prosodiam invenerunt; et quae Latini, nulla primum arte, deinde vero industria non modica, in suam linguam transtulerunt. Quod si nos, inquit, in patrium vernaculum derivemus, quae Graeci repererunt, et in suum sermonem Latini transtulerunt; utique ad eadem in nostro metra, et copiosa carmina perveniemus. Id autem videtur prorsus demonstrare, laboriosissima descendens opera in omnes, et singulas hispanae linguae partes: quam sane linguam, innumeris probat exemplis, pedes habere poeticos, quotquot Graeci, et Latini numerabant. Inde minutatim disquirit, num ejusmodi pedes aptari possint ad heroica metra hispano carmine, nulla patriae constructionis, et fluidi sermonis jactura? num etiam eas, quas appellant licentias poeticas, ut Graeci, et Latini, sic Hispani possimus vel in auxilium, vel in ornamentum vocare? Quarum licentiarum originem primum, deinde historiam, et progressus erudita jucunditate commemorat. Et nostrum, ait, sermonem poeticum haberemus hodie suis omnibus numeris limatum, ac perfectum, si Majores no-

stri

stri via Græcorum incessissent; quemadmodum latinus ab Accii, et Pacuvii rudi stilo in Virgilianum, et Catullianum nitorem, et elegantiam transivit. Haec autem, quae raptim attigimus, tanta doctrinarum eruditione, tam effuso calamo, tam concinne tractavit Castrus, qui rem per se totam, nullum secutus ducem, excogitavit, digessit, explanavit; ut inter plura, quibus annos fere sexaginta elaborando consumpsit, hoc omnino suum opus esse diceret, atque illo inprimis delectaretur. Hanc nos Prosodiam legimus, magna ex parte limpidissime exscriptam; alia vero pars in adversariis erat, cujus ad supremam perfectionem auctori vita non superfuit.

Utinam et superfuisset, ut plura perficeret, quae in alio fasciculo custodiebat; quibus manum postremam si dedisset, justae magnitudinis, et summae utilitatis volumina quatuor, et plus fortasse, conficerentur. Varia sunt argumenta, quibus ille fasciculus constabat; quorum plura quidem absolverat, aliorum dimidiam partem elaboraverat, aliis vero primam duntaxat manum admoverat: et quanquam aliquid scribere aggressus, omnia fere, quae ad opus integrum pertinerent, notis excipiebat; eae tamen erant notae, quas unus ille, qui scripserat, intelligeret. Quare Castro in paucis accommodatum censemus, quod ajebat de Cajo Graccho Tullius: *Manus extrema non accessit operibus ejus; praeclare incboata multa, perfecta non plane*. De hoc ejus vitio plura inchoandi,

nec

nec perficiendi (quod alii sane notarunt in pleriſque viris primae magnitudinis) de hoc, inquam, ejus vitio cum apud Caſtrum familiariter doleremus; excuſabat ſe innumeris occupationibus, quibus in aliorum obſequium obruebatur. Et profecto teſtes fuimus, poſtremis ejus vitae annis vix paucos, eoſque interdum quaſi furtim, ſuis operibus dediſſe dies: quoniam ad ipſum, tanquam ad commune oraculum, unus ex altero accedebant, qui vel cenſoriam ejus virgam pro ſuis lucubrationibus, vel integras lucubrationes ab ipſo elaborandas poſtulabant. Ille vero nemini unquam, quod audierimus, operam ſuam non libens, et urbanus praeſtabat; quin imo laetum, et hilarem tum maxime inveniebamus, cum ſibi novus aliquis ejuſmodi labor acceſſiſſet. Atque ita quidem, ſi cogerentur in unum, quae plura in alienum obſequium ſcripſit, ingentia certe numerarentur Caſtri volumina. Dolemus autem in iis eſſe, quae non perfecit, Americanae litteraturae hiſtoriam a primo in eas plagas Hiſpanorum adventu: cujus hiſtoriae, diligentiſſime quidem, et ſumma rerum intelligentia ſcriptae, primam tantummodo partem reliquit; et cum uberior eſſe, ac facilius progredi potuiſet, aliis diſtractus calamum continuit. In eodem chartarum faſce plura coacervaverat ex iis, quae in ſuis per Italiam peregrinationibus curioſus rerum inveſtigator, et ſemper ad ſtudia intentus, obſervavit: dum enim per valetudinem licuit, magnopere delectatus eſt ejuſmodi peregrinationibus, eruditiſſimis

tamen,

tamen, et in quibus locorum naturam, gentium indolem, et mores, civitatum omnium rem civilem, et moralem, et litterariam, et religiosam, et templa, et popularia quaevis attente considerabat: cum autem in cubiculi silentium redibat, omnia secum ipse meditabatur, et quaecunque mentem suam potissimum perculerant, scripto notabat; urbem cum urbe, cives cum civibus, antiqua cum praesentibus conferebat; ab iisque meditationibus utilissima scripta confecit, quae sunt ejus conatuum in litteris pretiosa monumenta. Fasciculus erat alius, ordine litterarum, quem solemus *Alphabeticum* vocare, dispositus, ubi legeres animadversiones judicii maturitate, atque optimo sapore plenas, quae in mentem illi veniebant, sive studeret, sive meditaretur: vir enim ingenio praestanti, et mirifice cogitabundus, omnino studere non posse videbatur, nisi adhibito calamo, qui difficilia quaevis, quae suis ipse sudoribus enodaverat, posteritati dilucidata communicaret. Inde quidem incredibilis illa rerum notitia, et jucundissima eruditio, qua suos de re qualibet sermones condiebat. Plura quidem ex ejus scriptis perierunt incendio, quod ipse sponte excitavit, et cujus vestigia nos vidimus, vix ab lacrimis temperantes; alia vero remanent, quorum quodlibet si typis pervulgabitur, tanti Sapientis memoriam obliterari non patietur.

Haec vitae series in assidua litterarum incude Castro quidem erat suavissima, et oblectamentum animi non interruptum afferebat;

sed

sed ab eadem fortasse ruit in pejus fracta jam, et gravibus morbis affecta ipsius valetudo. Tentatus apoplexi fuerat ante annos aliquot; et ab ejus vitae genere, corporisque constitutione, necnon ab subito stupore, in quem interdum veniebat, sane timebamus, non multum abesse, quin recideret. Cruciabatur etiam podagrae doloribus, et ab redundante pituita, summa pinguedine, crassisque humoribus difficilis admodum respirabat. Cui certe statui valetudinis nihil magis contrarium, quam ea solitudo ab omni hominum auxilio, in qua dormiebat. Non defuerunt, qui semel, et iterum ipsum cohortarentur, ut famulum, aut famulam domi reciperet; sed nescimus, qua mentis tenacitate ductus, obstinaverat animo, nullo uti contubernali, solus omnino domi cubare, atque ipse sibi diu, noctuque ministrare: nec enim ad usus vitae quotidianos aliam habebat opem, nisi quamdam anum insigniter hebetem, quae mane praestabat officia modica, et saepissime patientiam ejus exercebat. Decimo Kalendas Decembres, anno 1790, mane Castrum convenimus, et insuetum animi languorem in ipso animadvertimus. Postridie vero, cum, a quodam Patritio Bononiensi ante triduum invitatus ad prandium, hora solita non compareret; nec semel, et iterum percussis ejus foribus, ulla vox audiretur; nec ullus esset, qui Castrum eo die se vidisse affirmaret; oborta suspicio est, ne quid inopinati mali contigisset. Quare, collatis consiliis, effringi seram decernitur, et inventus est in cubili

bili jacens, lodicibus ad mentum de more contectus, ore paululum aperto, clausis oculis, omnino ad somnum compositus; mortuus tamen, et plane jam frigidus. Incertum est, ut quo morbi genere, sic et qua diei, vel noctis hora vitam posuerit; ab summa vero cadaveris frigiditate, atque aliis fundamentis, creditur concubia nocte, nullo prorsus habito mortis indicio, ad aeternitatem transiisse. Numerabat aetatis annos duos, et sexaginta, menses fere decem. Quiescit in Templo Paroeciali, quem Sanctum Joannem in Monte vulgo nuncupant. Immatura sane, atque inopinata morte a nobis abiit; superest tamen solatium, quod religiosis moribus vixerit; quod mortem, vitae magistram, frequens cogitabat; quod sanctam Fidem ubilibet, fervide, ac studiose propugnabat; quod Deum eximie colebat, ejusque misericordiae se se lubens, et summo sensu voluptatis credebat; quod in omnium hominum ex quovis ordine obsequium praesto erat; quod irasci fere nesciebat; quod longo vitae intervallo nullas inducias otio dedit; quod omnia demum ejus opera in bonum vel publicum, vel patriae, vel privati alicujus referebantur. Pacem precetur Mexicus Augustino Castro, civi sane clarissimo, quo patriae studiosiorem, eidemque multis nominibus utiliorem, fortasse vix unum aliquem genuerit, atque educaverit.

APPENDIX.

PETRUS REALES.

DIxeramus in hujus opusculi praefatione, complures Mexici floruisse viros, plane dignos, qui posteritati commendarentur; quorum tamen res praeclare gestas vel accuratissime celavit ipsorum temperantia; vel certe ad nos nemo detulit, nisi confusis verbis, quibus minime debet historiae sancta fides acquiescere. Horum primus occurrit Petrus Reales (quem alibi Realesium appellavimus; hic autem, quoniam ut hispane sonat, latine quoque desinit, nihil in eo immutandum censemus) primus, inquam, occurrit Petrus Reales, ab eximia pietate generatim laudatus, et perpetuis, ac primis Magistratibus insignitus: de quo tamen cum pauca dixerimus, quae nosmet fere vidimus; imago viri, qui merito habebatur in Provinciae clarioribus, omnino imperfecta videatur, necesse est. Nono Kalendas Majas, anno 1704 natus in Castellae ulterioris pago, cui nomen est Fons Solis, annoque aetatis duodevicesimo Societati aggregatus, post tirocinii biennium, et politiorum litterarum, philosophiaeque curricula, in Socios Mexicanos transivit. Nec certe mora fuit ulla, quin et omnium benevolentiam ab religio-

Digitized by Google

sis moribus, et laudem ab iis doctrinis, quas attulerat, mereretur: jam enim ab eo tempore latina poesi excellebat, eaque vel in postremis canis delectabatur. Ad sacros evectus ordines, nec modica laude probatus in re theologica, juvenis adhuc destinatur ad tirocinii Ministerium: et quod vix de paucis audieris, ab eo suscepto Ministerio nullum in longa vitae serie diem habuit, quo non perpetuatus esset in muneribus vel docendi, vel gubernandi. Philosophiam enim tradidit Vallisoleti in Michoacanensibus; et Mexici curriculum absolvit, quod Josephus Avilesius inchoaverat, anno Magisterii secundo vita functus; ubi Reali contigerunt inter alios auditores Campojus, et Abadius, quorum quilibet satis esset, ut insigni gloria Magister coronaretur. Guadalaxarae in Nova Gallecia sacram doctrinam edocuit; atque ibi discipulum nactus est, et singulariter dilexit Antonium Lopezium Portillum, et cui summa cum gloria praefuit theses propugnanti celeberrimas, et pro aetate copiosissimas, cum ille vix adolescens annum Theologiae secundum ageret. Minister fuit creatus, et Tepotzotlani, ut diximus, et Mexici in domo Professorum. Seminaria puerorum administravit et Angelopoli, quod Divi Hieronymi, et Guadalaxarae, quod Divi Joannis nomine appellabatur. Comes ad triennium fuit ab secretis intimis Andreae Garciae, summo Provinciae Moderatori; dictus inde tironum Magister, et Rector, ad spatiumque annorum fere decem in munere per-

pe-

petuatus; ab hoc autem vocatus ad universae Provinciae Praefecturam; renuntiatus post triennium, qui domum Professorum Praepositus gubernaret; ac post alterum ibi exactum, Rector tandem ad numerosius in eadem urbe Divorum Petri, et Pauli Collegium translatus.

Annos fere sex, et triginta in litteraria palaestra, Sociorumque regimine cum sustinuisset; nihil dubitabatur, producendum esse Realem multos adhuc annos in Magistratibus, ac denuo fortasse in primo Provinciae subsellio collocandum: vox enim erat universorum, virum esse strenuum, impigrum, summe navum, atque industrium, et cui fuerant insita quaedam a natura probitatis, et maturi judicii semina: quibus cum accederent religiosissimi mores, mite admodum ingenium, frons omnino gravis, considerata verborum tarditas, atque in omni corporis habitu, agendique dignitate nescio quid dominationi consentaneum; ad regendos homines natus, et ad summa gerenda quaelibet sane idoneus habebatur. In procuranda Collegiorum amplitudine, subditisque paternae charitatis abundantia recreandis, excelsam animi magnitudinem patefecit. Alumnis cum praeesset Guadalaxarae, superiori aedificato conclavi, seminarium amplificavit: quod idem Tepotzotlani fecit, majori tamen opera, et copiosioribus impendiis: nam et octo cubicula mediocris amplitudinis erigi curavit pro nimis anguste habitantibus junioribus, qui post tirocinium latinis litteris dabant operam; et totidem fere pro So-

ciis peregrinis commode excipiendis; et congruentem pro Collegii bibliotheca locum; et alium amoenissimi prospectus, atque ita spatiosum, ut recreationis tempore separatim, ut moris erat, tirones, et qui Musis vacabant, congregarentur. Totis etiam conatibus appulit animum ad Templi nitorem, et elegantiam: aras quatuor exaedificavit, ac magnificentissime perpolivit; et quo die binae primum, et quo postmodum alterae dedicatae sunt, magnum Sociorum numerum appellavit, qui solemnitatem adaugerent; et primi nominis oratores, qui religiosam caerimoniam e suggestu explicarent. Pro sacris vestibus et albo, et rubeo colore, sericis omnibus ex aureo, vel argenteo textili; et pro alia templi supellectili, magnam pecuniae summam erogavit. Domesticum etiam tirocinii sacrarium sumptuose ornavit, et ad elegantem munditiem semper compositum esse voluit. Ad supremam Provinciae Praefecturam vocatus, e vestigio advertit animum, et sedula diligentia conatus est, ut Mexicani Divorum Petri, et Pauli Collegii, vetustate jam collabentis, et multis locis omnino fatiscentis, aedificatio institueretur. Quod sane magnificum, atque oppido sumptuosum opus constanti alacritate fovit; ejusque auctoritas magni fuit, ut, nihil corrogatis pecuniis, aureorum plura millia sponte repraesentarentur in operis impendium ab opulentorum civium beneficentia. Et nihil interrupta fere ad septem annos accuratione, jam tandem eo fabrica consur-

surrexerat, ipso Reale Collegii ejusdem Moderatore; ut ingenti Sociorum juvenum bono magna pars habitari posse post annum crederetur.

Tantam hominis industriam perpetua comes mansuetudo in Magistratibus cumulavit; sed quae domesticam disciplinam nulla ex parte negligeret: quamdam enim a natura prorsus inditam habuit rationem, sibi auctoritatem conciliandi, pubem suae curae creditam potestate continendi, emeritos exemplo, et gravitate cohortandi, omnesque humanissima, et benevola charitate sibi conjungendi, atque ad sui nutus obsequium suavissime compellendi. Neminem penitus audires, qui unquam conquereretur, non ad eum sibi facilem patuisse aditum, quoties aut consilium dubius, aut solatium afflictus, ab ipso postulare voluisset. In objurgandis erratis, quibus minime indulgebat, cujuslibet aetatis, aut conditionis esses; ea prudentia ut plurimum se gerebat, ut non tam judicem timeres, quam Patrem amantissimum observares. Et interdum audiebatur errantibus obstrepere, si causae leviores essent; si vero graviores, quasi per spinas incederet, summa lentitudine ad rem investigandam, et irrogandam poenam veniebat. Quod si erratum talis esset naturae, ut, nulla disciplinae jactura, posset clanculum puniri; ad se appellatum eum, qui deliquerat, convenientibus verbis objurgabat, poena debita mulctabat, emendatum dimittebat, ac de crimine deinceps altissimum erat silentium. Provinciam

administranti Reali nihil accidere poterat acerbius, quam si ageretur de Socio quovis exauctorando: quod ut impediret, nulla non adhibebat lenitatis remedia, quaecunque illa essent, dummodo dignitatem suam non dedecere arbitraretur; nec, nisi summo in luctu, ac pene illacrimans, postremae sententiae subscribebat. In rebus agendis erat actuosus, et solers, in considerando prudenter cautus, in decernendo timidus quidem, sed in consilio semel suscepto constanter firmus, in extollendo merito partibus non favens, in suum cuique tribuendo religiose justus; nec unquam sciens, et lubens aberrasse ab aequitatis legibus credebatur. Abadium, suum olim auditorem, quatuor et triginta natum annos designavit ad unum ex primis in Provincia Magisteriis, nihil omnino veritus, ne forte obtrectator aliquis id tribueret peculiari dilectioni, qua prosequeretur discipulum. Nihil invidiam metuit, quoniam obfirmate crediderat, id praemium esse designati merito debitum; quanquam Abadius ipse, timens insolitum pro aetate honorem, obstinatissime precatus est, ac tandem obtinuit, ut a munere solveretur.

Tironum Magister eo potissimum consilia sua collineabat, ut adolescentes, quos erudiebat, castum Dei timorem, et suimet corporis odium cum primis religiosae vitae elementis haurirent. Nemo facile credat, quantam assiduitatem adhibuerit, et quantos conatus exeruerit, ut quamrectissime ad suum captum praeesset tironum institutioni. Omnino liquidum erat,

nihil

nihil virum illum diligentissimum ex animo loqui, nihil fere inter dormiendum volvere, nisi quod ejus pubis esset, cujus mores, et vitam informabat. Nunquam ab ejus mente deciderunt verba illa, quae in Magistri Novitiorum praescriptionibus prima erant: *Rem esse magni momenti sibi commissam intelligat; quandoquidem ex prima Novitiorum institutione pendet majori ex parte eorumdem profectus, et spes nostrae Societatis in Domino.* Quae sane verba tum secum ipse non interrupte meditabatur; tum saepius apud alios memorabat; tum eadem, quo toto tempore in Magisterio duravit, fuerunt ipsi sacrarum orationum argumentum, quas bis per hebdomadam in domestico sacello ad tirones dicebat. Nullam vel diei, vel noctis horam exceperat, qua se convenire volentibus aditus non pateret: eos vero praecipue, qui recens ad Socios cooptati fuerant, et qui puerilibus assueti nugis, ad gravissimi theatri conspectum moerore opprimebantur; hos, inquam, vel ipse inopinato visitabat, vel ad se vocabat, vel ultro accedentes humanissimus excipiebat, blandissimis verbis recreabat, interdum, se se illis instar Patris, et Matris esse, ajebat; nec ulli parcebat industriae, ut in eis religiosam laetitiam, et sui fiduciam excitaret. Ut domesticam disciplinam sartam tectam tueretur, ipse praeibat exemplo, ut mox videbimus; nec ab robusta juvenum constitutione devexam suam aetatem vinci patiebatur. Ita quidem Moderatorem suum tirones mirifice colebant, atque observabant, eique benevolen-

tiam

tiam benevolentia repensabant. Nihilo tamen secius in eo munere, si unquam alias, visus est Reales non omnes gubernationis numeros attigisse: vir enim, natura certe humanissimus, et ingenti virtutum cumulo religiosissimus, conscientiae vero scrupulis nimium quantum exagitatus, et secum ipso severus admodum, tirones suos ad incredibilem corporis macerationem cogebat; unde plures ab illis exordiis infirma erant valetudine, postmodum vero non sufficiebant sudoribus, ad quos ex instituta vitae ratione tenerentur. Eisdem animi compulsus anxietatibus, in minutissima quaedam intendebat, eaque summo cum ardore inculcabat, quae profecto videbantur non omnino congruere vitae generi, cui destinari debebant, cum in Solem, et pulverem tirones illi prodirent. Ab summa etiam in suos omnes benevolentia, conabatur totis viribus, ne quis tironum castra Societatis desereret; quorum plures post biennii sacramentum, quia facti non erant ad eam disciplinam, majori cum dedecore ab Sociorum albo expuncti sunt. Et certe gloriabatur, neminem eorum, Rectore se, defecisse, quos Novitiorum Magister in tirocinio suscepisset. Juniores etiam, qui litteris in eodem Collegio dabant operam; ad eamdem, ac si primo probarentur, consuetudinem silendi, et macerationibus, atque inedia vexandi corporis cogebantur; nec fere a tironibus differebant, nisi quod eis non esset ab litteris interdictum. Ac ne cui dubium suboriatur, hac severitate se gessisse in eo Colle-

gio

gio Realem, quoniam judicavit, instantibus conscientiae scrupulis, ita gubernandos tirones, atque a tirocinio recentes; quotquot Mexicani eramus, ipsum vidimus omnino alium, et suavitate singularem in aliis Praefecturis. Ea nimirum est humanae mentis imbecillitas, ut, quid in omnibus optimum factu sit, mortalis fere nemo pervideat. Nos autem in haec idcirco venimus, tum quia ex Tullii sententia fides historiae non minus a nobis exigit, ut nihil falsi audeamus, quam ut nihil veri non audeamus; tum quia videri nolumus, hunc virum, alias clarissimum, adducere in exemplar tirones informantibus, ut certe adducendum credimus aliis Magistratibus.

Maxime vero vitam ejus quotidianam imitationi proponendam censemus viris omnibus, qui ad altissimam perfectionem contendunt. In sacrarum meditationum studio summus erat Reales; adeo quidem ut nihil unquam decerneret, nisi prius ab hoc divino fonte lumen, et consilium hausisset. Novitiorum Magister, mane conveniebat primus omnium in domesticum sacellum; ubi genibus innixus durabat, donec ipsum alio vocarent occupationes pro munere. Tironum secutus disciplinam, bis in anno se se exercebat sacrarum commentationum hebdomada: quo quidem tempore, tametsi aetate jam defessus, ac rigidissimae vitae severitate consumptus, totas tamen quatuor horas meditationi destinatas, genua flexus in sacrario permanebat; nec unquam visus est aut sedere, aut

stare,

stare, aut ullo nutu delassatam naturam significare. Per eos etiam dies cum ab lectulo surrexisset, cubiculum suum non repetebat, nisi mane raptim jentaculo reficiendus, et post prandium brevissima meridiatione recreandus. Quidquid igitur ab horis meditationum supererat, sacris dabat lectionibus in alio cubiculo, quod erat e regione sacello domestico; ubi et propior esset Eucharistico Numini, quod assiduus adorabat; et paratior in tironum solatium, qui diebus illis vacationis ab omni humana cogitatione, conscientiae dubiis abundantius torquebantur. Eadem corporis positura quotidie noctu, et ante prandium minutissimae inquisitioni vacabat in sua praesentis diei facta, et dicta, et cogitata; noctu quidem semper in sacello cum tironibus, interdum etiam ante prandium. Totum praeterea diem virum hunc diceres meditari; cum et colloquia vix admitteret, nisi de rebus Divinis; et semper esset, quidquid ageret, cogitatione in Deum intenta; et sive in cubiculo, sive per deambulacra frequentissime audiretur in Deum mittere ferventia verba, et purissimum amorem; et salutarem mortis commentationem ita repeteret animo, ut semper viveret, quasi continuo mortalitatem depositurus. Profecto nunquam cubitum ibat, quin serio in memoriam revocaret, se sibi diem crastinum polliceri non posse: quare saepius, jamjam lectulum ingressurus, tironi suo contubernali (nam ante plures annos terrore quodam occupatus, in cubiculo solus dormire

non

Digitized by Google

non poterat) commendabat quaedam, Collegii Ministro aperienda, si nocte illa se mori fortasse contingeret. Subcisivas horas, quas habebat vacuas ab operosissimo negotio tirones audiendi, solus in cubiculi silentio quamlibentissime consumebat: in eis autem, ut nunquam excogitare cessabat, quod utilius esse posset ad juvenum suorum institutionem; in eis, inquam, horis plura Drusbickii scripta, quae mire accendunt animos, et ad religiosos mores apprime informant, ab latino sermone in hispanum convertit; et sic translata praebebat tironibus legenda, et exscribenda. Summa religione ad aram quotidie faciebat; quod ne omitterent sibi subditi Sacerdotes, intentissime invigilabat, multus inculcans, hunc esse fontem copiosissimum, unde miseri mortales omnia bona derivamus. Motus animi subegit, ne incompositi erumperent: ac certe in tot annorum Magistratibus, in quibus innumerae sunt occasiones a mansuetudine decedendi, raro admodum Realem subiratum audieris. Intelleximus a quodam nostro familiari, se testem fuisse, cum ad illum Provinciae Antistitem subditus quidam ira immodica locutus est; Reales vero mansuetissime obmutuit. Carnem domuit crudelissimus flagello, et ciliciis, nec in eo genere voluit unquam aetatis vacationem. Christiane demissus, alte silebat, quaecunque possent in sui honorem recidere; quin imo ab sua modesta temperantia pauci sciebant, doctrina morum magnopere ipsum excellere: cujus eximiae mode-

stiae,

stiae, vilissimaeque de se opinionis documentum nobis fuit, cum designatus ad supremam Provinciae Praefecturam, haec in tironum frequentia pronuntiavit: *Sane vereor, irasci velle Deum Sociis Mexicanis, quibus hominem tot nominibus indignum praefecerit*. Inopiae religiosae cultor acerrimus, facili negotio se se spoliabat iis, quae sui usus erant; nec uni prae alia supellectili visus est unquam corde adhaerescere; nec res erat in humanis ulla, cujus desiderio caperetur. Castimoniae nitorem constantissimus asservavit; nec aut linguam solvebat incautus, aut oculos temere vagari patiebatur; ne forte imprudentes venirent, ubi posset flos ille periclitari. Quas egregias virtutes cum affabilis urbanitas in quotidiana vitae consuetudine cumularet; tum apud externos, tum apud domesticos habebatur in charissimis, et ubicunque commoraretur, in praecipua fuit veneratione, ac summi viri opinione.

Inchoabat Mexici secundum Magistratus annum in Divorum Petri, et Pauli Collegio; cum Societati Mexicanae indictum est, ab eis regionibus abire, Josephus Galvezius, Legatus ab Rege in Novohispanis, qui Sociis ejus Collegii sententiam discessus denuntiavit; ut pro munere cum Reale familiariter egit, ipsum magnifacere commonstravit, ac multis benevolentiae significationibus abeuntem prosecutus est. Prima Realis cura tum in itinere, tum in Veraecrucis portu, dum navigandi expectabatur opportunitas; prima, inquam, ejus fuit cura,

ut

ut quidquid esset de praesentis calamitatis tempore, Mexicana pubes ab religiosis moribus, et disciplina domestica non deficeret. Ac profecto Veracruce, quoad res perturbatae patiebantur, distributionem temporis ab suis observandam instituit, quae non modici fuit exempli militibus, qui domum illam custodiebant. Sed decreverat, qui mundum administrat ad arbitrium Deus, hanc tantummodo calicis partem Realem degustare: post mensem enim, et paucos dies, ab animi aegritudine vitiatis corporis humoribus, vehementissimo primum capitis dolore correptus est; inde vero cum valida febris accederet, continuo Medicus indixit, supremis religionibus aegrum muniri. Quem terribilem nuntium tranquillissimo vultu Reales inaudiit; interrogatus autem, quem vellet Sacerdotem ad se vocari, ut postremo tergeret animum in sacra poenitentia? in haec memorabilia respondit: *A Dei misericordia est*, *quod nihil omnino me terreat*, *nec ullius culpae sim conscius*. Ad haec sane obstupescent, qui Realem non noverunt; nos autem, qui emendatissimos ejus mores ad longam aetatem vidimus oculati testes, nihil certe miramur, nullum invenisse crimen, quo moriturus expiaretur: quanquam suavissimam Dei providentiam veneremur, quod homo innumeris conscientiae fluctibus irrequietus toto fere vitae tempore, ad summam animi serenitatem compositus venientem mortem conspexerit. Decimo tandem Kalendas septembres, anno 1767, aetatis ejus currente quarto, et sexagesi-

gesimo, quo die celebrantur Divi Philippi Benitii solemnia, cujus religio singulariter ipsum movebat, in Sociorum moerore fatalem horam nactus est, elatusque in templo urbis paroeciali. Post annum tertium, et vicesimum grati laudant, et mirantur Petrum Realem Mexicani; nec, dum unus aliquis eorum supererit, virtutes ejus, et singularia merita silebuntur.

JOSE-

JOSEPHUS ZEPEDA.

VIrum a puero maturrimi judicii, nobilis dignitatis, et nativae prudentiae; quas postea dotes eximia doctrina, religiosa probitas, et oppido affabilis consuetudo cumularunt: hunc, inquam, virum praeterire non licet in claris Mexicanis; quanquam toto ejus vitae cursu, si mores externos consideres, unus ex multis esse videretur. Talem fuisse, raptim demonstrabimus, Josephum Zepedam, septimo Kalendas Novembres, anno 1720. Guatimalae natum; quae fuit urbs amoenissima, virorum omni laude perillustrium patria, in vallis planitie posita, quam vallem miro naturae artificio montes fere undique circumsepiunt. Illa quidem a perpetuo vere, saluberrimo coelo, ingenti soli ubertate, suavissimis, ac diversissimis pomis, aquarum ex montibus derivatarum multitudine, rerum denique omnium, et nullius non generis delitiarum copia, fuerat in Americae Mexicanae jucundissimis oppidis existimata. Sed fuisse diximus urbem; non esse: quoniam ea Guatimala, quam habuit Zepeda patriam, ab ignivomo in vicinia monte, ut ab Æthna suo Catana, et ab suo Vesuvio Neapolis, cum crebris affligeretur terrae succussibus; atque annis hujus saeculi 17., et 51. calamitatem ultimam pertimuisset; septua-

gesimo tandem tertio, mense Quintili, terra movit tam insigni aedificiorum fluctuatione, ut civitas illa fere tota fuerit excisa, plane deleta, et suismet ruinis miserabiliter consepulta. Zepedarum familia fortunae bonis mediocriter abundavit, genere autem fuit in patriae clarissimis; et religiose custodiebat epistolam, quam Diva Theresia, nobilis Virgo Abulensis, propria manu Guatimalam dederat ad suae cognationis quemdam, qui cum ad eas gentes immigrasset, in Zepedarum proavis numerabatur.

Puer adhuc Josephus Zepeda spectabili fuit morum gravitate; quam adolescens, et vir non solum non deposuit, sed etiam aliis naturae dotibus, earumque virtutum universitate, quae religiosum hominem, atque in mortalium societate undequaque perfectum, et laudabilem constituunt, mirabiliter exornavit. Vel puerum, vel adolescentem, vel virum Zepedam consideres, excellentia meriti maturavit, omninoque antevertit aetatem ejusdem meriti propriam. Ab litteris elementariis ad grammaticae gymnasia translatus, exeruit illico ingenium eminens; quod indefessis excultum in studio conatibus, quoties de palma certaretur inter suppares, facile praemio donabatur. Excelluit etiam in philosophicis, in quibus Magistrum audivit Michaelem Cartagenam, virum in Sociis Mexicanis notissimum tum ab honestis moribus, tum a natura incredibiliter actuosa, et efficaci. Ad Socios Tepotzotlani aggregatus XIII. Kalendas sextiles, anno 1737, e vestigio dedit signi-

fica-

ficationes eximiae modestiae, singularis temperantiae, prudentissimique judicii: quare brevi tempore summe probatus Mathaeo Ansaldo, tunc novitiorum Moderatori, Praefectus tironum renuntiatus est: quo quidem in officio qualem se gesserit, luculento testimonio intelleximus ante plures annos ab Socio quodam, qui cum Societatem iniisset aetate maturior, et Sacris jam ordinibus initiatus, atque adeo majori lumine instructus, ut genuinae virtutis formam a falsa ejusdem imagine discerneret; Zepedae novitii tempore totum fere posuit tirocinium. Hic igitur, unum ex primis Provinciae Collegiis cum postea Zepeda regeret, aperte ad nos inquiebat: *Sane sibi constat vir iste mirabilis; et quamsimillimus est Zepeda in hoc amplissimo Magistratu, Zepedae tironum Praefecto; nec aut elegantior moribus, aut majori prudentia, dignitateve suos nunc subditos gubernat, quam novitius duodevicesimo aetatis anno Praefecti munus administravit.*

A tirocinio statim ad politiores litteras ex more appellatus, fuit Musis inter chariores, et fortasse quo nemo inter aequales charior. Et peritiam hanc, facilitatemque in humanioribus elegantiis, et latinis veneribus palam postea jam Theologus demonstravit; cum ad theses propugnandas designatus est, quae vocabulo in Sociis Mexicanis domestico *Majores Divinae Scripturae Theses* nuncupabantur. Eas qui defenderet, electum ab semet ex Sacris Codicibus propositum ad horae dimidium expendere,

interpretari, amplificare debebat, latina quidem oratione, atque ea venustissima, et eleganter concinnata: deinde vero, praeter insignem aliquem Academiae Mexicanae Doctorem, et Socium alterum, quatuor etiam e Coenobitarum numero disputantibus oratorio more, propositamque interpretationem refellentibus (qui plerunque erant ex optimi nominis in Sacra quavis familia Magistris) aeque ad singulos horae dimidio latine ex tempore dicens respondere. Hujusmodi theses non agitabantur, nisi revertente triennii periodo; et praeterea propugnator annum Theologiae tertium agere debebat. Quae cum Zepedae contingere non possent, si ante annum tertium, pro grammaticae Magisterio, ut fere fieri solebat, curriculum abrupisset; ob ipsius excellentiam in latinis litteris, tres continenter annos Theologiae dedit operam, ut ad Scripturae propugnandas theses idoneus haberetur. Et certe, constituta pro thesibus die, magnam habuit a frequentissimo consessu laudem; atque oneri tam arduo, tantique momenti pro Sociorum gloria, Zepedam satisfecisse in paucis, ad nostram aetatem inaudiebatur. Missus postea Vallisoletum in Michoacanensibus, grammaticam tradidit; unde post annum revocato Mexicum, et ad Sacros Ordines evecto, rhetoricae Magisterium in Angelopolitanis committitur. Utrobique sane, quemadmodum in tirocinio, et in hactenus emenso studiorum cursu, meruit sibi laudem religiosissimi adolescentis; quem et modesta in omnibus temperantia, et

affa-

affabilis dignitas, et incredibilis cupido solitudinis, et domesticae disciplinae fidelis admodum observantia, et strenui conatus in se se litteris erudiendo, et summa in rebus gerendis accuratio, et navitas exornabant. Annum etiam egerat in hoc Magisterio, cum, Theologiae cursum absoluturus, Mexicum remigrat: et cum Zepeda, et Socius alter in anteactis periculis pari eminere merito judicati fuissent; sorti commissum est, uter primariis thesibus donaretur. Ab ea secundum obtigit Zepedae praemium; cui non levis honos accessit, quo die, mane Theologiae, post meridiem Juris Canonici disciplinas, instar Magistri doctrina praestantissimi defendit.

Ad instituendos arte rhetorica pueros iterum designatus, hanc in Mexicanis annum tradidit eo majori cum laude, quo frequentius habere debebat cum Musis commercium, et publicas ejusdem commercii dare significationes, quisquis in eo Sociorum Collegio Magisterium illud profitebatur. Postquam tertio in re pietatis ad annum alterum de more probatus est, Zelajam immittitur Operarius, urbem quidem non primariam, sed coeli saluberrimi, et Sociorum studiosissimam. Ab hac autem opera post annum, et paucos menses, Guadalaxarae in Nova Gallecia Magister Philosophiae dicitur. Non erat annus ille, cum inchoari Guadalaxarae debuisset novum philosophiae curriculum; quod ex ejus Collegii moribus, nisi confecto alterius triennio, nunquam instaurabatur.

tur. Praefectus vero Regius in publicum numerosae urbis emolumentum a Provinciae Praeside postulavit, ut alter duntaxat annus novo Magisterio vacaret. Unus autem ex Regiis Senatoribus, cujus erant liberi aetate ad inchoandas artes idonea, Magistrum nomine petiit, atque obtinuit Zepedam, quicum Guatimalae familiariter usus fuerat, alumnus alumno in Divi Borgiae Seminario. Erat hic Senator Franciscus Lopezius Portillus, vir omnino probus, et honestus, quem alibi ab omnigenae virtutis, et litterarum excellentia laudavimus. Attulit ad Magisterium Zepeda, praeter excellentiam doctrinae, plures animi virtutes, quibus Guadalaxarensium celebritatem, benevolentiam, et venerationem sibi demeruit. Intentissimus labori, nullo unquam die, si praescriptas ferias exceperis, gymnasio non interfuit; tametsi interdum, ut mortalium est conditio, valetudine tentaretur. Affabilem urbanitatem sanctissime colebat; et nemo erat ullus, qui posset conqueri, se ab eo neglectum in iis officiis, quae sunt ex patria consuetudine. Caetera vero, solitudine, atque erudito cubiculi silentio tantopere delectabatur; ut, nisi quodvis id generis officium, aut Societatis munia postularent, nunquam ille domo pedem efferret, etiam in feriatis diebus, cum ab schola vacuis Magistris pomeridiana extra domum deambulatio permittebatur. Per vias urbis incedebat Zepeda vultu semper gravis, oculis fere in solum demissis, et toto corpore ad modestiam, non illam qui-

dem

dem fucatam, et horridam, sed facilem, amabilem, et quasi nativam compositus. Atque iisdem instructus virtutibus, et naturae dotibus, cum sui desiderium Guadalaxarensibus reliquisset, secundo tradidit philosophiam in Mexicanis: apud quos quidem, ut illustrius erat theatrum, copiosiores dedit doctrinae significationes; et in urbe amplissima, sapientibusque frequentissima, Zepedae nomen clarius insonuit, et summis hoc in genere laudibus praedicatum est. Primarius erat tum temporis Theologiae Professor in Divorum Petri, et Pauli Collegio Franciscus Zevallius, qui tum a doctrinarum omnium excellentia, tum ab eximiae sanctitatis opinione, cum celebritate audiebatur in sapientibus Mexicanis: et hic Zevallius, tanto vir nomine, Zepedam philosophiae Magistrum, aevi nostri Aristotelem appellare consuevit. Summus etiam Provinciae Magistratus ita magnifecit Zepedam, ut adhuc philosophiae Magisterio impeditum, existimaverit idoneum, quem in Divi Ildephonsi Seminario Theologis, et Jure consultis praeficeret. Magni certe oneris, et momenti munus! in quo tamen Zepeda, quantus esset, affatim explicuit; et ingentem sibi laudem ab earum disciplinarum eruditione comparavit in magno alumnorum numero, quos inter complures erant, qui summis ingeniis, et maturae jam aetati summos etiam conatus cum conjungerent, abunde dijudicare poterant de Praefecti merito in domesticis concertationibus, quas bis in hebdomada Theologi, bis etiam Ju-

reconsulti celebrabant; et in quibus ille doctrinam suam in utraque scientia profundebat. Ab iis, qui Mexici philosophiae Magistrum audierunt Zepedam, incredibile quidem est, quantam et benevolentiam, et venerationem habuerit; atque inter alios nihil vulgaribus dotibus laudabiles, tres illi fuerunt auditores fere praeter naturae ordinem eminentibus, et merito celebratissimis ingeniis, quorum alter, Anicetus Recius, Carmelitanorum familiae; duo reliqui, Narçissus Gonzalvius, ex foecunda illustrium ingeniorum familia, et Ignatius Zamoranus, septemque alii condiscipuli Societati nomen dederunt: ut omnino videretur, suavissimis Magistri virtutibus delectatos, excitatos, allectos, ad eadem, in quibus ille militabat, castra confugisse.

Trigesimum sextum agebat aetatis annum, cum Rector dicitur ejusdem Divi Ildephonsi Seminarii, quod alumnos tercentos circiter numerabat. In hoc adolescentium numero cum et nos, qui haec scribimus, essemus; profecto neminem audivimus, a quo laudes, et benevolentia Zepedae Rectori non tribuerentur. Illam oris dignitatem, quam ei perpetuam a puero comitem fuisse demonstravimus, in hoc maxime munere servavit; ea tamen erat dignitas, quae pro munere necessariam auctoritatem conciliaret, minime vero, quae terrorem incuteret, aut quae supercilio niteretur. Accedentibus, etiam importune, quae solet esse pubis incogitantia, comem, et affabilem se praestabat.

Sedu-

Sedulus erat in promovendo litterarum bono; et in cohortandis omnibus, ut suam unusquisque disciplinam ad ingenii mensuram arripere conaretur; id autem verbis, et suasionibus ad singulorum indolem, et conditionem semper aptatis. Laudabat opportune, blandissime corrigebat, alumnorum mores ad christianam, et civilem vitam instituebat, raro ad plagas veniebat, in omnibus exemplo praeibat. Hoc in munere constitutus, tametsi quoad licebat, in silentio latebat, consuetudinem tamen cum externis effugere omnino non poterat: cum iis autem urbanus erat inprimis, et sive ad se venirent, sive ille ad ipsos; talem se gerebat in officiis praestandis, ut nullam elegantiam desiderares.

A confecto ibi triennio tum summa sua navitate, tum universorum acclamatione, ad Divi Ildephonsi Collegium in Angelopolitanis gubernandum, nemine quidem expectante, sed omnibus gratulantibus, appellatur. Magistratus hic erat in Sociis Novohispanis inter primos; ad quem, nisi in postremis canis, et post alia Collegia longis annis administrata, nemo fere veniebat; et a quo plures exierant ad summam Provinciae Praefecturam. Sed omnia videbantur, huic viro spectabili, quod supra demonstravimus, praeter ordinem accidisse. Ut illi natura praecocem prudentiam, et judicium, et gravitatem, et ingenium, et aliorum meritorum excellentiam attulit; ita et honores, et praemia, quae meritum consequuntur, ipsi matura-

turata sunt. Undequadrageſimo aetatis anno Zepeda in hoc ampliſſimum faſtigium evectus, plane commonſtravit, non canis opus eſſe ad optimam gubernationem, ut ut illa ſit ardua; cum ineſt animo, quae ſuppleat aetatem, conſummata prudentia. Ratio quidem ejus gubernationis prorſus conſona fuit ingenuis aequitatis, et charitatis legibus; nec tamen ideo non admodum recta, ſalutaris, et inculpata. Diſciplinam domeſticam totis conatibus promovit; fuit autem in eo plurimus, ut illos, qui ſuae poteſtati ſubjecti erant, quam poſſet fieri minime, contriſtaret. Totum duravit ſexennium in ejus Collegii adminiſtratione, quin publica errati correctio, niſi ſemel, aut iterum, audiretur. Quod narrare fortaſſe non auderemus, niſi et nos oculati teſtes fuiſſemus: nam in Collegio philoſophíae ſtudiis deſtinato, quali Zepeda praeerat, plures congregabantur juvenes; qui, tametſi religioſis legibus tenerentur, homines tamen erant, et praeter infirmam mortalium conditionem, aetatis fervorem afferebant; nec omnino dari poterat, ut ad ipſum ſexennium in tanta multitudine vix unus, aut alter inventus fuiſſet, quin domitis, ac penitus fractis cupiditatibus viveret. Zepeda quidem erratis non parcebat; ſed ſemel, iterum, tertio, ſaepiuſque blandiſſimis verbis in ſecreto conclavi cum errantibus utebatur; nec niſi coactus, et poſtquam omnia incaſſum remedia tentaverat, ad publicam correctionem deveniebat. Quae ſiquis lentitudini potius, et inertiae, quam pater-

paternae mansuetudini, et Christianae lenitati, tribuenda crediderit; hunc enixe deprecabimur, ut se se prius interroget, num ipse sui similes vera, et genuina charitate, quae a Christo est, diligat? num omnino velit sibi, quae desiderat aliis? Quod animo sincero cum affirmaverit; tunc, per nos liceat, Zepedae gubernationem accuset. Id nos asseverare sane possumus, qui, tanti viri potestati subditos fuisse, nobis gratulamur: Omnes ibi Socios Zepedam Magistratum observasse, coluisse, dilexisse, veneratione maxima prosecutos fuisse; nunquam non promptum obsequium nutibus ejus praestitisse; suo quemlibet officio totis viribus intendisse; munia Societatis ibidem, haud secus ac sub alio quovis Magistratu, viguisse; et quantum humanae conditionis est, sartam tectam sub imperio mitissimo disciplinam domesticam duravisse.

Quo tempore secundum gubernationis inivit triennium, cum Provincialis Conventus Mexici de more cogeretur, ad Acta perscribenda Zepeda optatus est: posteaque praeeunte Comitiis Francisco Zevallio, summo Provinciae Antistite, negotiorum Procuratores ad urbes Romam, et Matritum dicti sunt Villavicencius, et Insaustius; et tertius appellatus est idem Zepeda, qui, si casu aliquo impedirentur, illis in officio succederet. Quare nihil fere dubitabatur, hoc Procuratoris munere decoratum iri Zepedam, cum prima comitia celebrarentur. Ab sexennio gubernationis in Angelopolitanis, nolens, et totis viribus recusans, in patriam cum

pote-

potestate remittitur; ubi summa cum celebritate ab universis civibus exceptus, Collegium illud vix annum administravit: nam Sociis omnibus depulsis, Havanam adnavigare jussus est. Qui Zepedae naturam novimus, cujus erat una delectatio, voluptasque in solitudine, ac rerum ordine; satis argumentamur, nihil asperius huic viro gravissimo contingere potuisse, quam fuit inopinatus ille strepitus, et rerum omnium perturbatio. Nihilo tamen secius, Deo confisus, nulla mora obtemperavit; terrestrem viam adornavit, qua nullam excogites pejorem, aut a periculis, aut ab anfractibus, aut a montium praeruptis, aut ab locis insalubribus; Omoam pervenit; se se fluctibus, quibus nunquam assueverat, alacer commisit; maximis incommodis navigavit; Havanam tandem attigit, quae fuit illi portus et navigationis, et mortalis peregrinationis. E navi descendere, atque in suburbano, cui nomen *Okendus*, ad littus posito, paululum requiescere Sociis datum est: ubi Zepeda diversis eventibus incredibiliter fuit afflictus, et luctu cumulatus; quanquam si vultus ejus imperturbatam dignitatem intuereris, animo tranquillissimum sane crederes. Post dierum modicum navim denuo conscendunt ex Praefecti urbis imperio; sed non diu fuit, cum Zepeda graviter decubuit, atque in Bethleemitarum nosocomium delatus, e vestigioque sacris omnibus expiatus, post brevissimam valetudinem, immaturo plane fato, septem et quadraginta natus annos, mensem unum, et dies septem,

mor-

mortalitate exutus est V. Kalendas Decembres, anno 1767. In eorumdem Coenobitarum aedibus nulla solemni caerimonia (ut pro tempore) Cadaver tanti viri terrae mandatum est.

Sortitus est animam Zepeda temperantem, modestam, et mirifice verecundam; ac tinctus flavo colore vultus ejus apparebat, quoties vel pro munere deberet primum publice locum accipere; vel in rem quamvis, quae ipsi laudis esset, imprudens offenderes. Omnino nullum ab eo sermonem audires, nisi qui castissimis auribus consonaret. Munditiem oppido colebat, in victu, in propriis indumentis, in tota supellectili; sed ea, quibus utebatur, digna prorsus erant viro, qui et tenuitatem amat, et sacramento religioso est obnoxius. Philosophiae Magister in Guadalaxarensibus, toto triennio cubiculum habuit fere nudum rebus omnibus; in quo sane praeter ea, quae plane sunt litterato viro necessaria, nihil prorsus invenires, nisi Christi simulacrum, et amabilissima forma Marianam Imaginem. Misereri dolentium, consolari afflictos, atque omnes homines, quoad poterat, juvare, solemne semper illi fuit: quare constanti fuit solertia, cum a disciplinae obsequiis vacuum haberet tempus, in sacris confessionibus excipiendis. Et ob ejus in hoc munere suavem mansuetudinem, et rectissimam prudentiam, quaerebatur a pluribus, expiandorum animorum gratia; praesertim vero ab Sanctimonialibus, quae mirum in modum gaudebant, in conscientiae rebus ab hoc Duce, tantis ornato

nato virtutibus, gubernari. Non parum etiam adjuvit homines assiduitate in sacris orationibus e suggestu: non habuit quidem a natura vocis elegantiam, non firma latera, non oratorium ardorem; sed copiosam, dilucidam, sententiarum luminibus perspersam, ad persuadendum aptissimam, omnique numero perfectam orationem ad eloquentiae leges elaborabat. Quare vocis, et laterum vitium nihil obfuit, quominus ad dicendum in solemnibus primi nominis persaepe invitaretur. Quod si natura liberalior ei fuisset in externis illis dotibus, nomen Zepedae sine dubio numeraretur in primis ejus aevi Oratoribus. Ingenium, quo functus est clarissimo, et mirum in modum excellenti, coluit etiam ingenti, nec interrupta contentione: locum otio non dabat nec ad minimam temporis particulam; et superest quidam, quicum ille familiariter colloquens ajebat: *Incredibili voluptate afficior, quoties mihi contingit, solutum esse ab omni cura, et libros arbitrio meo volvere, ac devorare.* Quapropter quemadmodum solum fertile, ac foecundum, si diligentis agricolae sudoribus excolatur, uberrimos edit fructus; ita Zepedae ingenium natura ferax, et ad scientias idoneum, assidue data studiis opera, in nullam litteraturae partem jaculatus est, quin omnino collinearet: atque adeo vir iste, nulla non dignus laude, suis privatis conatibus ad perfectum saporem in omnigena eruditione pervenit. Habuit etiam miram in judicando rectitudinem, et facilem quamdam perspicaciam ad internos hominum

minum motus dignoscendos. Qua de re Josephus Melendezius, qui Minister in Divi Ildephonsi Collegio, plus quadriennio cum Zepeda Rectore familiariter usus est, apud nos asseverabat: mirari se, quo pacto posset ille tam perfecte cognoscere singulorum ex sibi subditis naturam; idque, vel cum recentes in Collegium venerant: quam profecto cognitionem in arcanis cum Ministro colloquiis demonstrabat. Sed qui Zepedae imaginem pulcherrimis exornatam coloribus velit intueri, mente sibi describat hominem, qualem Tullius olim depingebat: *qui nimirum hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiae sit, ut respuat omnes voluptates, omnemque vitae suae cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficiat: quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non convivia delectent, nihil in vita expetendum putet, nisi quod sit cum laude, et cum dignitate conjunctum: et hunc,* ajebat, *divinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto.* Haec profecto apprime similis esset imago, si Tullius describere Zepedam voluisset.

MICHAEL CASTILLUS.

HUnc nimirum hominem semper Mexicus in odore suavitatis meminerit, quem longo coluit tempore suis civibus maximopere beneficum, et ab Apostolatu in patria clarissimum. Ex honesta in Mexicanis Castillorum familia quatuor prodiere filii, qui Deo se religiose consecrarunt: primus ad perillustre Dominicanorum institutum cooptatus, doctrina floruit inprimis; alter in Collegio Guadalupano primum Canonicus, inde ad Mexicanum ex merito translatus, in ea Dignitate vitam clausit, quam Poenitentiarii nomine appellant; bini reliqui Societati se se dedere, quorum Josephus natu grandior, festiva morum elegantia inter primos jucundus, oratoria laude non vulgariter insignitus, cum in primi nominis Magisteriis incanuisset, postremo tandem ad gubernandum assumptus est, et hac etiam parte laudatus admodum, plenus meritis Bononiae vivere desiit. Binae pariter sorores ad Sacras Virgines adlectae sunt in Mexicano Divi Laurentii gynaeceo, quarum altera, Petra nomine, singularibus a natura dotibus excelluit, tum a praeclaro ingenio, tum a mentis perspicacia, tum ab lepida consuetudine, tum a mira facilitate se se in omnium animos insinuandi; et ab his in familiari colloquio veneribus

ma-

magna erat ei celebritas, et frequentes ad ipſam externi conveniebant. Cum autem paralyſi repente laboraret, ac diuturni morbi moleſtiis ad ſeverioris vitae diſciplinam excitaretur; oravit enixe Deum, ut ſe vellet ad ſanitatem eatenus duntaxat reſtitui, ut ſacras poſſet Virgines in religioſis officiis comitari. Ac ſane beneficio, quod poſtularat, accepto, datam fidem conſtantiſſime praeſtitit, nec unquam viſa eſt repetere locum, pro familiari cum externis colloquio deſtinatum.

Quartus igitur ex praefatis maribus anno ſaeculi currentis ſeptimo, poſtridie Kalendas Sextiles natus eſt, ac Michaelis nomine ad Sacra regeneratus. Adhuc tenella aetate cum Patrem amiſiſſet, vitricum habuit Eſcobarium quemdam, doctrinis medicis in Nova Hiſpania famoſum; a quo nactus eſt eam in re Chriſtiana, civili, et litteraria inſtitutionem, quae tutiſſima via eſt ad egregia facinora, vitaeque honeſtam elegantiam in humano commercio. Poſt datam grammaticis elementis, et philoſophicis doctrinis operam, ex Eſcobarii conſilio incubuit Michael in medicas cognitiones: atque ut erat natura comparatus adoleſcens, nihil certe dubitamus, in eo jam tunc ſplenduiſſe mirificum illud ſtudium totis viribus juvandi miſeram mortalium conditionem; ut etiam vim illam profunde meditandi, et abſtruſa quaevis inveſtigandi; atque opportunum illud in re ſubita conſilium, quae dotes inter primas idoneae ſunt ad eam artem, quam Tullius appellavit

valetudinis prudentiam. Sed videlicet ad alterius ordinis infirmos, et majoris momenti sanationes ab supremo rerum Domino Michael destinabatur. Biennium enim posuerat in ejusmodi medicis notionibus, cum vehementer vocatus ad perfectius vitae Institutum, Kalendis Februariis, anno 1726., aetatis suae vertente vicesimo, Tepotzotlani ad Socios annumeratur. Novitios tunc regebat vir ille pietate singularis, Josephus Genovesius, in quem saepius calamo incidimus, et cujus memoria ferventissimo tironi toto postmodum vitae suae cursu fuit charissima. Nos quidem cum voluptate meminimus ea suavissima Michaelis colloquia, cum, prae gaudio pene illacrimans, multa narrabat de Genovesii Magistratu, et praesertim efficacem industriam, et miras artes, quas indefessus adhibebat, ut Mariani amoris flamma novitios accenderet. Ab hac igitur ustrina tantus fuit postea Michael in Mariano amore, ut fere diceres, nihil illum sapere nisi Mariam Virginem, nec omnino aliud posse aut loqui, aut cogitare. Sive familiarem institueret sermonem, sive ad populum e suggestu verba faceret, sive moribundis extrema remedia praestaret, sive Judex sederet in sacro poenitentiae subsellio, nunquam non semel, et iterum Mariae nomen inaudiebatur; et fluebat per ejus oculos uberius abundans in corde laetitia, quoties pronuntiare dabatur hoc ei suavissimum nomen, *Magna Deipara*. Chrysostomum, Bernardum, Bernardinum, aliosque Mariae praecipuos cultores, eo nomine

ne singulariter amabat; quoniam et suis ipsi scriptis pietatem in hanc Dominam excitarunt, ejusdemque amorem per orbem universum disseminarunt. Haec obiter dicta sint, ne tertio quoque verbo redeamus ad idem argumentum, quod viri hujus imaginem describenti saepissime occurrat, necesse est.

Exacto tirocinii biennio cum summa pietatis laude, religiosa vota de more nuncupavit. Translatus inde ad litteras, omnia confecit curricula nihil sui dissimilis in comparato animi fervore, ac praeterea satis explicans illa mentis ornamenta, quibus olim adjutus, utilitati alienae consuleret, sive ad populum in urbe orare, sive ad Gentes Christi nomen annuntiare, sive in gymnasiorum umbraculis doctrinas tradere juberetur. Quare postremo tentatus periculo, praemii nomine destinatus fuit ad eum gradum, in Societate altiorem, qui municipali vocabulo Solemnis quatuor votorum Professio dicebatur; quam emisit quidem suo postea tempore. Ad sacros appellatus ordines, e vestigio commonstravit, ea se natum esse indole laborum patientissima, ut ad solem, et pulverem in bono civium desudaret: nihil enim distulit tum in animis poenitentia purgandis longas horas insumere, tum incredibili fervore populum sacris orationibus concitare. Hoc certe uno munere procurandi hominibus aeternum emolumentum, exsatiari posse videbatur illa ingentis magnitudinis anima, sui similium inprimis amantissima. Quare toto triennio, quo philosophiam

tradidit in Vallisoletano Collegio, cum ratione muneris non posset ad voluntatis arbitrium diuturnam dare operam sudoribus id generis; credebat se se pene in exilio positum, vel omnino appellatum ad provinciam sibi non congruam. Et nisi praecipuus fuisset in auscultando Magistratibus, quasi manifestam Dei vocem in eorum imperiis inaudiret; nunquam profecto ad Magisterii honores ascendisset. Ingenio quidem minime vulgari cum clareret, omnes muneris partes cumulatissime implevit: quod et nosmet intelleximus a Petro Reale, viro inter primos gravi, qui Michaelis Magisterium, cujus fuerat oculatus testis, laudibus extollebat. Caeterum et a taedio muneris, quod magnopere invitus capessierat, et ab ipsa natura, qua facile ferebatur in tetras, et vanas suspiciones, in illud tandem tristitiae barathrum devenit, ut emota propemodum mente videretur. Ea certe de causa post philosophici Magisterii triennium ad Parralensem commorationem destinatur, ubi curis gravioribus solutus grammaticam doceret externos. Inde vero post modicum temporis, Bellido novitiorum Moderatore, Tepotzotlanum revocatur, ut ibi pietatis rebus praeesset in eo munere, quod spiritus Praefecturam appellabamus.

Ac per eos quidem dies, praeter illas, quas demonstravimus, vanas a natura suspiciones, a malo daemone affligi, et mirum in modum divexari coeperat bello prae caeteris horrido, quae potuissent in ejus animo exsuscitari.

ri. A flagrantiſsima cupidine lucrandi homines Deo, facile intelliges, nihil ipsum in solitudine cogitaſse, nihil in familiaribus colloquiis reſpiraſſe, nihil prorsus ullo tempore jaculatum esse, vel sanus ratione uteretur, vel ab aegritudine deliraret, vel etiam somno corporis vires reficeret; nihil, inquam, suis operibus, verbis, cogitatis volviſſe, nisi bonum aeternum animorum, quod suis ipse vigiliis, assiduitate ad sacrum subsellium, publicis ad populum, privatis ad singulos cohortationibus, et centum aliis mire adinventis artibus procuraret. Pro quo sane ministerio cum esset tum a natura, tum a pia industria singularibus conformatus dotibus, ut mox videbimus; nihil non tentarunt stygiae furiae, ut hominem hunc ab sacro munere tradendi publice Christianam fidem absterrerent. Ac primo quidem ejus animum oppugnarunt illa saepius iterata, et semper inanibus argumentis confirmata formidine, quod non Deus ipsum legitime vocaverat, sed ultro se se in Apostolatum intruserat: quod utique amanti animas, earumque felicitatem totis viribus quaeritanti, sed hunc hominum amorem ad omnium auctorem Deum referenti, summam profecto afferebat moestitiam; atque inde incredibiles excitabantur in viro Apostolico tumultus. Luctabatur Michael in hunc oppido molestum inimicum, quam strenuissima poterat fortitudine; nunquam tamen vincere dabatur, nisi post auxilium a domestico Moderatore imploratum; cui demisse reserans arcanam in animo pugnam,

ab ejusdem consilio temporariam derivabat serenitatem. Atque ita diversis temporibus hac de re consuluit Cartam, Lopezium, Bellidum, Gandaram, quos postrema, et gloriosis factis illustriori suae vitae parte Magistratus habuit in Mexicano Divorum Petri, et Pauli Collegio.

In hanc enim urbem, et in hoc maximum Provinciae Collegium a praedicto munere appellatus est Annuntiationis Marianae Sodalitii Praefectus. Et hic tandem ad annos fere viginti explicavit flagrantissimum illum aeternae hominum salutis ardorem, nulla mensura, nullo termino, nullo gentium, vel ordinum discrimine circumscriptum. Opportune accidit, Augustinum Cartam, ejus Collegii Rectorem, virum certe multis nominibus laudandum, juxta domesticas aedes in via publica sibi constituisse theatrum, ubi singulis hebdomadis feria tertia, quo tempore immaculati Conceptus Mariae Virginis Sodales, viri ex urbis primoribus, in propinquo Sacrario conveniebant; ipse ad rhedarios, tunc inibi frequentes, aliosque ex vili populo congregatos, Divina verba dispensabat: Egregium hoc documentum, quo demississimus Moderator palam significavit, nullam esse conspicui muneris dignitatem, quae veros, et germanos Lojolae filios impediret, quominus annuntiando Dei verbo suam praestarent operam etiam infimae classis hominibus; hoc, inquam, documentum viam aperuit Michaeli Castillo, ut laudabili desiderio sui similes juvandi sacris per urbem excursionibus, liberiorem locum e-

rum-

rumpendi, et palam comparendi permitteret. Nullus erat Mexici angulus, nulla platea, ubi Michael ab ea aetate sacrum pulpitum non erexerit. Singulis Dominicis, aliisque per hebdomadam festis diebus, ad Divorum Petri, et Pauli Collegii fores, hora post meridiem tertia; magna populi multitudo Michaelem praestolabatur; qui descendens, pompam instituebat solemnem, simulacro praeeunte Mariae Virginis, cui titulus est a Lumine; donec ad locum ventum esset, qui pro concione illius diei ab illo destinabatur. Erat autem is locus vel amplissima platea, vel apertum, et frequens gentibus quadrivium, vel ubi pro anni tempore pomeridianas horas fallebat numerosior Mexicanorum multitudo. Cum vero diebus etiam non feriatis daretur interdum opportunitas Dei verbum annuntiandi; non omittebat mirifice strenuus excitare conciones in foro quodam, dicto Mexici *Baratillo*; quod sane forum nulla diei hora non erat immenso refertum populo vendentium, coementium, aliorumque tempus otio consumentium. Ubi ad constitutum locum perveniebatur, Michael suggestum conscendebat; sive scamnum aliquod, sive quid simile, forte desumptum e domo proxima, pro suggestu adhibebat. Sed quoniam incredibilis frequentia congregabatur, et magnus convenientium numerus, qui postremus accesserat, satis commode audire non poterat; eodem tempore Socius, qui Michaelem comitabatur, modica distantia theatrum aliud, primo simile, pro Divinis etiam

dicendis constituebat. Ac duas totas horas, atque interdum eo amplius, nihil interrupte dicendo ad populum Michael insumebat; idque tanto animi fervore, ac laterum contentione, ut saepius accideret, cum vix ille ab sacra oratione cessasset, in terram prolabi plane sensibus destitutum. Neque vero id impediebat, quominus vel sequenti, vel ipso etiam die, quo passus fuerat deliquium, in idem rediret ministerium: solebat enim, praesertim magni jejunii tempore, diem totum ejusmodi sacris exigere, mane quidem in templo domestico ab Superiore jussus; pomeridiano tempore ad Sanctimonialium, aut alia externorum fana invitatus; tertio demum suamet sponte in via publica pro bono illorum, qui sacra loca frequentare vel a munere non potuerant, vel omnino neglexerant.

Et facile intelligitur, non illum industria, et arte, non rhetoricis floribus, et pigmentis, non etiam dato sibi tempore ad ornandum excogitatum argumentum, orationes elaborasse: nec enim id efficere potuisset, tametsi nullam diei horam infirmae mortalitati concederet. Sed ab sacrorum Codicum, Ecclesiaeque Doctorum assidua lectione, ab rerum Divinarum profunda commentatione, ab ipsa consuetudine ad longos annos haec argumenta tractandi, ab eo non intermisso studio novas inveniendi artes in bonum animorum, et fortasse a peculiari dono, quo fuerat a Deo insignitus Mexicanus hic Apostolus; ab his, inquam, fontibus in eam di-

cendi

Digitized by Google

cendi facilitatem devenerat, ut imparatus accedens ad concionis locum, fere semper ex tempore loqueretur; et per viam saepe interrogaret Socium, quodnam eo die sibi tractandum argumentum existimaret. Plures illi natura dotes concesserat, ut in oratoribus emineret; vocem nimirum limpidam, efficacem, vehementem, ad affectus omnes flexibilem; linguam facilem, et omnino expeditam; latera mire constantia; proceram corporis staturam; eam vultus gravitatem, quae maxime decet sacris vacantem hominem; ingenium ad subita quaevis promptissimum, ad inventionem mirabile, ad amplificationem uberrimum. Quod si ad auditorum conventum, quorum erat maxima pars ineruditus populus, oratione utebatur affatim incompta; id utique data faciebat opera: nihil enim tam studebat, quam ab omnibus intelligi. Et certe quam alii solent industriam adhibere in concinnitate, ac proprietate verborum; eam Michael uni perspicuitati ad universorum captum reservabat. Quare totis fuerat conatibus in familiari plebis infimae sermone, proverbiis, et similitudinibus condiscendis; ut eas adhibens, quantum sacri loci majestas patitur, vilem populum efficacius alliceret, atque utilius erudiret.

De miris, et summopere industriis artibus, in quibus totus erat, ut animas Deo lucraretur, pauca duntaxat delibare liceat; ne plura ejusdem generis cumulemus contra brevitatis institutum, quod potissimum cordi nobis est. Porro non

ro non credimus, Archimedem illum ab indefesso conatu in geometricis, astronomicis, et suis machinalibus artibus laudatissimum, atque instar prodigii, merito quidem, posteritati commendatum; non, inquam, credimus, majori fuisse in iis attentione, quam fuisse novimus Michaelem Castillum in sui Apostolatus ministeriis. Domi quidem indefessus aderat sacro Poenitentiae subsellio, sive in Templo matutinis horis, sive in atrio, sive in alio remoto loco vespertinis, ubi plebis infimae corona circumdatus, amplissimae charitatis viscera explicabat. Neque vero satis illi erat, suam miseris praestare operam; sed quasi servus esset inutilis, auxilium Sociorum implorabat, nec fere apud ipsos instituebat colloquia, quae salutem animorum aliquo pacto non saperent. Mirifice disertam expromebat eloquentiam, cum agebatur de messis albescentis ubertate; de operariorum paucitate; de bono maximo, quod Sacerdos praestare potest hominibus in summa calamitate, quae peccatum est, constitutis; de ratione aliquando reddenda Numini ab iis, qui vocati fuerant ad Lojolae Institutum, nisi ad facultatis mensuram in ejusmodi operis desudarent. Atque his profecto sermonibus industrie disseminatis, et summo ardore propugnatis, id tandem adeptus fuerat, ut ferventissimam Sociorum manum formaret, quos alternis educebat expeditionum suarum lubentes comites, et quibuscum partiebatur curam, novas quotidie reperiendi artes in animorum emolumentum. In his

arti-

artibus numeramus industrium Michaelis excogitatum, Divinas quasdam de peccati foeditate, de subitae mortis periculo, de cruciatibus apud inferos nunquam interituris, et centum alias id generis, in chartulis exscribendi sententias; easque vel quasi casu per viam publicam projiciendi, vel insonti puero tradendi, qui ad libitum obvio cuique distribueret: Nec modici fuerunt ab his chartulis fructus; cum plures attoniti, ac tanquam fulmine perculsi, ad bonam frugem, favente intus Numine, se receperint. Solebat etiam in familiaribus colloquiis festive jocari Michael de novis, ut ajebat, ab se inventis figuris, quibus in dicendo utebatur apposite ad movendum, et persuadendum; et quas Demosthenes, Tullius, Fabius, et reliqui primae notae Oratores omnino ignorarunt. Ab lepidis autem ad seria veniens: *quid enim*, ajebat, *ea sunt, quae primores illi rhetores tractanda susceperunt, si cum iis conferantur, quae praebent sacris oratoribus dicendi argumentum? Cur igitur datum nobis non sit ad rei gravitatis mensuram alia schemata in sacram eloquentiam introferre?* Quemdam ex ea manu ab se formata Socium, Angelopolim ab Superiore immissum, enixe precatus est, ut litteris nuntiaret, quidquid in ea Domini vinea pro bono animorum ageretur; data invicem fide, se quoque de Mexicana nuntiaturum: ut videlicet tum mutua charitas, tum agendi ardor his litteris foveretur. Ad pueros Annuntiationis Marianae Sodales, quorum erat Praefectus, eximia sedulitate adlaborabat: sin-

gulis

gulis de more Sabbatis eos in christianis erudiens, ad ipsorum intelligentiam ita verba dispensabat, ut velut repuerascere pro Christo videretur; suavissimis monitis illos cohortabatur, munusculis alliciebat, instar amici ad singulos loquebatur, sui copiam cunctis faciebat, ut vel in dubiis consulerent, vel animos poenitentia purgarent; ac tandem nihil non tentabat, ut litterarum curriculum alacri navitate susciperent, ut primaevam eorum innocentiam sartam tectam tueretur, ut Marianam pietatem in mentibus tenellis insculperet. Summo cum animi gaudio meminimus ea tempora, cum testes oculati vidimus et incredibilem hujus viri sedulitatem in pueris ad sacra instituendis; et omnigenam horum venerationem, atque amorem erga Michaelem, quem vulgo Sanctum, et Mariae Virgini Charissimum appellabant.

Haec, et similia plura intra domesticos parietes; foris autem ibat, redibat, volitabat, huc illuc discurrebat, peccatorum vestigia sequens, ut eos aliquando tandem a veterno criminum extorqueret. Ac tametsi ad mortis memoriam incredibili metu percelleretur, et proinde nihil tam fugeret, quam voluntaria causa valetudinem frangere; cum tamen versari crederet bonum animorum, nihil aut urentem Solem, aut pluvias, aut turbines, aut noctis concubium formidabat. Nec inveneris certe similiorem venatoris feras persequentis imaginem, quam erat Michael in circumstandis, et capiendis hominibus per invia errantibus, ut eos ad

rectum

rectum aeternae salutis iter traduceret. Omnibus omnia factus, virtutem sectantes confirmabat in arrepto vitae instituto; debiles juvabat, ne periculis objecti laberentur; criminibus obnoxios urgebat, premebat, defatigabat, suavitate, consilio, terroribus oppugnabat, ad poenitentiam invitabat, et se se parato prorsus animo ad eos audiendos in sacro foro repraesentabat. Quod profecto argumentum offerendi semet benignum judicem in sacro poenitentiae subsellio, ita cordi erat Michaeli, ut interdum orationem abrumpens, ac dexteram protensam elevans, et populo efficaciter ostendens: *Videtis*, inquiebat, *hanc manum? Nunquam illa suavius acquiescit, quam postquam signo crucis remiserit, quae fuerant ad annos quadraginta, quinquaginta, sexaginta, vel eo amplius, inveterata crimina*. Simili modo manum solebat admovere ad aurem, atque inopinato dicere: *Occasionem hujus auris captate, quam nulla sive diei, sive noctis hora paratam non habetis, ut vos quamlibenter audiat, ac per eam Deo concilieminі*. Haec nimirum, et innumera id generis jocose postmodum appellabat nova schemata, quae probarat experimento ad vilem populum movendum, et in meliorem frugem revocandum idonea. Et certe plurimum ea valebant in Michaelis ore, quem intaminati mores, quem eximia in homines charitas, quem diuturni Apostolatus auctoritas, quem probata rerum prudentia in ejusmodi subitis assultibus commendabant. Solebat per viam incedens, hunc, aut illum casu ob-

vium

vium repente morari; et humanissime salutatum obiter feriebat Divina quaque sententia, quam animo ruminaret. Ita fortuito venientem senem quemdam, nec facie sibi notum, blandis appellavit verbis, ejusque senectae cum occasionem arriperet: *Fortaſse*, inquit, *non longe aberis ab supremo fato: bonum tibi, si, aetatis anteactae criminibus apud Sacerdotem depositis, animi aeternitati consulueris*. In bonam terram cecidit seminatum id granum: postridie senex ille ad Michaelem accedit, ac totius vitae scelera longus expiat amaris lacrimis; nec diu fuit, quin extrema tactus aegritudine, benevolum suum monitorem denuo vocaret, ac post paululum fato concederet. Interdum etiam, cum vel a concione per compita, vel a moribundi lectulo rediret, elementariorum scholas ingrediebatur; et praemissa Ludimagistri facultate, Divinam rem pueros edocebat; et multa humanitate ad officia aetati consentanea informabat: hanc videlicet artem ab Societatis institutis, et primorum ejus Patrum exemplo mutuatus. Primus Mexici adhibuit in sacro pulpito dialogorum consuetudinem, qui summae habentur utilitatis, praesertim ad indoctae plebis institutionem.

Non sane defuere, ut miseri sumus homines, quibus minime placebant sacrae Michaelis orationes; quibus, ajebant, inconditi excitantur tumultus, nec in iis decorum illud servatur loco maxime conveniens. Quantae ab his viro piissimo calamitates! Quanta saluti animorum

impe-

impedimenta! Nostri quidem instituti non est ejusmodi concertationes dirimere; sed certe Michaeli sic dicenti fructus respondebat uberrimus, quem et ipse inprimis, et caeteri Sacerdotes non mediocriter colligebant. Ab Socio notae veritatis intelleximus, neminem fortasse fuisse Mexici, qui per eam aetatem sederet Judex in sacro foro, nec Michaelis Castilli nomen semel, et iterum ab accedentibus inaudiret; ac praesertim esurialibus feriis turmatim venire homines, longo tempore criminibus implicatos, quos ejusdem Apostoli Mexicani orationes ad poenitentiam traduxerant. Quadam die vehementissime orabat in peccatores diuturnis immersos voluptatibus; et quo magis moveret animos, orationem repente volvit ad incertum hominem, quem casu voluit appellare Joannem a Deo, ut potuisset Titium, aut Sempronium. Postridie cum sederet in sacro subsellio, videt ad se venientem quemdam, qui genuflexus, et maximis doloris significationibus, accusare semet ita continuo coepit: *Joannes a Deo mihi nomen est, ac sum omnino ille, quem in hesterna concione appellasti, et cujus corruptos mores, ac multa scelera, nullo praetermisso, mirabiliter descripsisti*. Post haec vero, legitime apertis conscientiae plagis omnibus, oppido probabilem dedit spem perfectae sanationis. Atque inde non cessabat a laudando Numine Michael ob fortuitam appellationem, quae tantum illi misero emolumentum attulerat. Locum pro concione delegerat festo quodam die non longe a taberna,

ubi

ubi potatores conveniebant ad ebrietatem; cum inopinato eduxit papyraceas imagines, quas puerulis aliquot ea distribuit conditione, ut suam unusquisque manu gestans, modesti, ac silentes tabernam circumdarent. Quod cum pueruli mira firmitate fecissent; a periculoso loco, qui convenerant, abierunt, et desertam officinam tabernarius obseravit. Hoc autem maximum sibi lucrum Orator arbitratus est; cum ab ejus mente nunquam excideret illustre Lojolae documentum, qui vota sua, totiusque vitae sudores affatim repensos existimabat, si modo posset illis efficere, ut vel noctis unius intervallo scortum a pellicatu abstineret. Ad Socium alterum primo magni jejunii Sabbato accessit homo, qui praecedenti Dominica (quae prima in Mexicanis est baccanalium dies) cum ad pomeridianae recreationis locum, pro tempore celeberrimum, *Tlaspana* vulgo dictum, contenderet; per viam offendit Michaelem concionantem; quem cum attente audiisset, ingemuit de vita male acta, domumque illico rediit; ubi reliquum hebdomadae spatium conclusus duravit, donec praedicto Sabbato exivit, ut immundam peccatis conscientiam sacra confessione purgaret.

Hic profecto ab sacris ejus orationibus fructus non modice fraenabat aliter opinantes; ut etiam abunde in proposito confirmabat Michaelem, cujus operum, ac defatigationum una erat meta, Deo gloriam, bonum animis procurare. Sed habemus praeterea non levia testimonia,

quae

quae viro isti clarissimo favebant, ut ab instituta semita non discederet. Porro Collegii Magistratus, et summi Provinciae Praesides, quos et doctrina, et gubernandi prudentia, et castigatis moribus, et animorum charitate, et Societatis amore illustres, tam diuturno tempore habuit, et quorum voces, et nutus, quasi Divina imperia, reverebatur; in re quidem gravissima connivere non possent, si omnino credidissent; sacram eloquentiam male ab illo tractari. Quinimo quoties oppressus tetris illis cogitationibus, quas demonstravimus, Majores consuluit; semper ab ipsis rediit confirmatus, roboratus, laudatus, et multis verbis exstimulatus, ut inceptam viam non desereret. Quid enimvero hac occasione cadere potuisset opportunius, ut a dicendi ministerio removerent hominem demississimum; siquod in ejus orationibus periculum extimuissent? Andreas Lucena, Veracrucensis, ab indolis gravitate, atque ab illibatae vitae, ac doctrinae nomine inprimis laudatus, cum Rector ad Zacatecos pro extremis Provinciae Comitiis Mexicum adventasset, ac forte transiens audiisset Michaelem in frequentissima platea dicentem ad Sanctorum omnium solemnia; maximopere demirans, et summis laudibus extollens egregium oratoris ardorem, ab supremo Provinciae Moderatore postulavit, dari sibi unum aliquem ex Sociis, in Michaelis Castilii disciplina formatis, qui Zacatechis institueret sacras per urbem excursiones, prorsus earum similes, quas a Michaele in Mexicanis

viderat ipse testis, et quas olim in Vicetinis a primaevis Lojolae Sociis legerat excitatas. Ipsi etiam Mexicano populo charus admodum, et pene supra humanam fidem acceptus erat Michael; tametsi non ejus aures blande scalperet, nec rhetoricis floribus Divinam veritatem comeret, nec sibi benevolentiam eleganti lenocinio captaret; sed *in ostensione spiritus, et virtutis*, Dei verbum annuntians, ea saepissime, quae sunt amara, et nimium quantum ingrata peccatoribus, inculcaret. Non aliud fere sapiebat Mexicana plebs, nisi Michaelem Castillum; nec aliud sibi credendum existimabat, nisi quod ab ipso audierat. Quaedam bona vetula, in sacro tribunali ab Augustino Carta interrogata, num fidem praestitisset periculosis quibusdam rumusculis per urbem serpentibus; ingenua simplicitate respondit: *Ego vero nihil credo, nisi quod a Deo juberi per Sanctum Patrem Michaelem edocemur*. Ad temporis modicum, recuperandae valetudinis causa, cum Vallisoletum contendisset; illum Mexicani, ex infimo praesertim ordine, desiderabant, suspirabant, ipsiusque reditum votis ad Numen urgentes precabantur: et quidam ex vili populo, cum jam prope venientem intelligerent, rhedam meritoriam sex mulis junctam conduxerunt, ad aliquot milliaria prae gaudio gestientes reducem exceperunt, et quasi triumpho in urbem intulerunt. Quidam etiam ex equestri ordine satis commonstravit, et quam magnifieret per totam urbem hujus viri Apostolatus, et quanta esset ab eo fructuum magnitudo.

tudo. Hic sane civis haud modicae auctoritatis, familiariter alloquens Michaelem: *Siquid*, inquit, *aliquid ad te possum, vehementer oro, atque obtestor, ut ab incepta concionandi ratione non deficias: fructus enim uberiores, quam cogitas, ab ejusmodi sacris excursionibus enascuntur. Et scias, velim, fuisse Mexici, quemdam summopere tibi, ac tuis infensum; qui te dicentem cum audire voluisset, sive illudendi, sive criminandi animo, longe alius, quam venerat, ab oratione discessit: hodie vero, postquam aperte recantaverit, quae in te, tuosque Socios insanienti similis effuderat; vix repereris in urbe amplissima, et vestri amantissima, qui vos magnificentius extollat.* Id generis laudes ab omni sexu, et ordine Michaeli conferri, passim per urbem audiebatur. Nullum vero luculentius fuit testimonium, quam ipsi collatum ab Emmanuele Rubio Salina, Mexicano Pontifice, viro primi nominis, atque unice charo Mexicanis ab universitate virtutum: hic enim et singularibus benevolentiae significationibus illum cumulavit, et saepius obtulit suos thesauros in bonum egenorum ad ejus arbitrium; quanquam Michael, mire temperans, nunquam uti ausus est hoc Pontificis animo ad largitatem propenso. Ipsius autem Apostolatum valde commendabat Rubius, grato semper animo prosequebatur, et manifestis apud omnes verbis praedicabat. In solemnibus Mariae Virginis Lauretanae precaturus accessit ad ejus Deiparae Templum, quo tempore Michael in platea, quae juxta est, consueto

ardore ad frequentem ibi populum dicebat: a precationibus egressus Pontifex, orationis terminum patienter expectavit; Oratorem laudibus extulit; ut a glorioso sudore non cessaret, excitavit; ut pro se Deum rogaret, postulavit; ejusdemque nolentis, ac refugientis, manum fere genibus flexis deosculatus est.

Hi sane ab universis plausus Michaelem animo inprimis demissum urebant intrinsecus, et summo dolore afficiebant; exterius vero dissimulanter tacebat, quasi risu, aut neglectu excipiendam diceret hominum simplicitatem, qui bona delusi fide, honores immerenti, ut margaritam porcis, profundebant. Miris erat artibus, ut, quae sibi honorem merito conciliabant, in suimet irrisionem traduceret. In familiari consuetudine, cum sermo in doctrinas incideret, ut fere inter viros, qui scientiam profitentur; obstinato silentio linguam premebat, quasi argumentum penitus ignoraret. Si vero de juvandis animis ageretur, nihil dubitabat abunde verba facere, tanquam primarius Doctor, et longa consummatus experientia; sed semper festivum salem immiscebat, quo se se pungeret, ac nota illiterati, et generalem neglectum commerentis inureret. Ne quid gloriae sibi accederet ab innumera frequentia venientium, ut apud ipsum crimina expiarent, ita lepide jocabatur: *Equidem nunquam non sum prima urbis parte decore circumdatus iu sacro subsellio; si nimirum cives ab infima classe numerare incipiamus*. Omnino velle videbatur, ut aeter-

no

no silentio sepeliretur, decoratum se fuisse philosophiae magisterio; quod utique fere omnes, demptis ejus aetatis supparibus, ignorabant. Magnis implicatus negotiis mercator cum ad ipsum venisset consilii requirendi gratia; demisso Michael animo conticuit, atque illum deducens in Collegii dembulacrum, ubi sita erant Theologiae Magistrorum cubicula: *Ecce Doctores*, ait, *quos consulere secure poteris; ego enim in id sum destinatus, ut hos adjuvem in aliis pietatis ministeriis, quae tantam doctrinae copiam non postulant*: ambiguis nempe verbis indicans, ingenio se pusillum esse, nec ad supremum in Societate gradum pervenisse. Quam pulchram, et humanae consuetudini amabilem efficiunt imaginem, cum in eodem homine conveniunt clarum ingenium, et animi demissio! Haec nimirum temperat alterius pericula; tunc sapis ad sobrietatem; tunc in tua sapientia non gloriaris; tunc insipientium te miseret. Ab his fontibus Michael Evangelicam illam mansuetudinem derivavit, qua semper ad subita quaevis ita paratus erat, ut aequo vultu laudantem, et conviciantem exciperet. Inde pariter, quod alienas miserias intueri non posset, quin ad praestandum auxilium totis conatibus moveretur. Si forte per viam inveniebat ejulantem puerulum, aut afflictam ancillulam, quoniam, ut saepe accidit, domesticum vas infregerant, aut pecuniam amiserant; cohibere se non poterat, quin vasis pretium, aut amissae parem pecuniam illico numeraret; praemissa duntaxat co-

hortatione, ut accuratius rem agerent: *quid enim*, ajebat, *quoad potero, non consoler animum mei similem, cum ipsum videro in gravem aliquam., ut pro sua conditione, calamitatem incidere?*

Religiosam tenuitatem, quam Deo voverat, eximius amavit, atque in corporis cultu, cubiculi supellectili, et rebus omnibus, quae sui usus erant, sanctissime coluit. Quanto prosequeretur odio vitium castimoniae contrarium, luculenter admodum testatur, quod in sacris orationibus fervidissimam dabat operam, ut horribilibus coloribus eam pestem depingeret, ac pro viribus profligaret. Assiduis periculis, quae dum sumus in hac mortalitate, purissimum hunc florem circumstant, objiciebat strenua fortitudine tum validum auxilium nihil interrupte imploratum a Maria Virginum Regina; tum laboriosissimam operam in quotidiana vitae ratione; tum vero severam admodum modestiam in ea cum foeminis consuetudine, quam necessario requirebant Apostolatus ministeria. Obedientiae laudem, quam sibi comparaverat ab religiosae vitae primordiis, intactam tulit ad postremam aetatem: nec unquam visus est ab ea deficere, vel in re minima; tametsi boni animorum procurandi praeterlaberetur opportunitas, quam aucupaturus, intentissimam operam collinearat. Incredibiliter amabat, colebat, observabat Lojolae Societatem, in qua posuit annos ultra quadraginta, nunquam non animo exultans, quod in eam fuisset adscriptus; et

cujus

cujus Instituta longo, et accurato studio commentatus est. Hujus amoris monumentum perpetuare voluit in virorum imaginibus, qui primi Lojolae Socii generosam operam indefesse sudantes praestiterunt Societatis aedificio: quos omnes Michael ex tenuitate sua depingi curavit, atque ad praecipuam Collegii Maximi scalam in planitiei fronte collocavit, imagini cuique subscripto exemplaris elogio. Et sane credidimus omnes, postremum viri hujus fuisse morbum repentinam Societatis calamitatem, quam Mexico ejectam intueri siccis oculis non potuit. Humanissimam erga sui similes misericordiam in praecipuis ejus virtutibus collocamus. Miser quisque obvius movebat Michaelis animum, quasi unus ipse teneretur necessitatibus universorum opitulari. Puella quaedam honestis nata Parentibus, et forma eleganti, cum per viam ab eo stipem flagitasset, atque ipsi de Patre dudum mortuo, de Matre ad insaniam redacta, de binis fratribus, totidemque sororibus pene infantulis multa narrasset; miserantem viri animum ita pupugit, ut hic ab eo jam die, calamitosam familiam commode ali, ac sustentari, tum ex pecunia suis usibus permissa, tum alieno corrogato auxilio, quamdiu duravit Mexici, procuraverit. Quin imo, cum exilii legem audiit, praeter charissimae sibi Societatis malum, eo pariter nomine perculsus est, quod illi miseri ad orbitatem iterum devenirent. Anno 1762, cum funesta illa febrium lues, alibi a nobis memorata, per Mexicum

serperet, vocatus Michael ad aegrotum, invenit miserum humi utcunque jacentem, cui nulla erat culcita, non etiam lodices, non indusium, quo tegeretur, ut sudorem eliceret, quod inprimis utile credebatur ad morbum abigendum. Commotus ille misericordia, ut sibi moris erat in similibus; in angulo secreto exspoliavit se subucula, qua languentem contexit; eoque postea criminibus expiato, in Collegium e vestigio rediit, et pecuniam clanculum tradidit domestico puero, qui confestim indusium coemeret. Hoc insigne misericordiae documentum ignoraremus, nisi postero die, cum Michael contagione correptus e lectulo exsurgere non posset, ac Collegii Minister, aliique contubernales, charitatis ergo ad infirmi cubile accedentes, oppido mirarentur ejusdem subuculam iis ornatibus ad pectus, et manicas, ut solent pulchelli, et munduli adhibere; coactus ille fuisset rem totam patefacere, ne tale ornamentum in religiose paupere pessimi exempli esse videretur. Magni excitati sunt risus ad insolitam Michaelis elegantiam; sed certe major admiratio, et plausus ad egregiam charitatem, ut etiam ad omnigenae virtutis exempla, quae dedit eo morbi tempore, quem in sacro ministerio contraxerat.

In tota Michaelis vitae serie consulto abstinuimus a commemoranda insigni ejus in Divum Antonium, vulgo dictum Patavinum, pietate; ut singillatim, quae cuncta sunt id generis, velut uno in cumulo congeramus. Nec profecto

eto timemus asserere, illum fuisse in hac parte fere similem Bernardo Colnago, Socio in Siculis olim a mirabili vitae sanctimonia clarissimo, et caelestibus donis plane singulariter insignito. Agebat enim cum Antonio Michael, ut de Colnago legimus, omnino familiariter; et cum eo colloquia suavissima instituebat, quasi vocem invicem respondentis audiret. Ubi ubi commoratus est, Antonii cultum summo studio disseminavit, tum publicis cohortationibus ad populum dicens, tum privatis in sacro foro, tum ejusdem statuis ad publicas aras propositis, quas ad duodecim, tredecimve numerum impendio suo constructas, per diversa Mexici templa collocavit. Ad Annuntiationis Marianae Praefecturam vocatus, muneris Procuratorem illico renuntiavit Antonium, cujus etiam simulacrum habebat in cubiculo, cui negotia, pecunias, et totam Sodalitii administrationem crediderat. Siquid vero contingeret adversum, vel in redituum exactione, vel in Sodalium regimine, vel in quovis alio Praefecturae negotio; nihil cunctatus adibat simulacrum illud, consilia cum eo conferebat, rem totam familiariter enarrabat; quid agendum, interrogabat; cur id accidisset, percontabatur; quasi Procuratoris diligentiam ad calculos revocaret. Nec in iis duntaxat, quae muneris erant, sed in omnibus quotidianae vitae casibus ad Antonium suum, vel certe ad Magnam Deiparam, ipso Antonio deprecatore, confugiebat. Aliud erat in ara publica Patavini simulacrum manicata veste, more Francis-

cano-

canorum., cujus erant manicae litteris graves, Michaelis manu conscriptis: nam quoties malum aliquod immineret, epistolium exarabat ea familiaritate jucundum, qua Tullianae litterae ad Quintum fratrem; quod insonti puero tradebat, in praedicti simulacri manicas immittendum. Haec forte videbuntur neutiquam esse Apostolicae gravitatis digna, sed hominis omnino ex faece populi, aut indecore simplicis, aut ignarae vetulae quamsimillimi. Sed cum alias liquido constet, fuisse Michaelem ingenio clarum, litteris ornatum, solidissimae pietatis eximium cultorem; nec praeterea desint exempla id generis in viris illustrissimis, quos et vitae sanctitas, et morum dignitas decorarunt; aequitatis ratio postulat, ut in hoc etiam Mexicano Apostolo, quae de ipsius in Antonium cultu videntur humanis oculis absurda, fervoris abundantiae nullis rhetorum verbis exprimendae tribuamus. Et Mexici quidem inoleverat opinio, ut Michaelem ab Antonio semper flagitare nulla dubitatione obtinendi auxilium, quod implorabat; ita etiam nunquam non fieri votorum compotem. Nec in ea parte desiderabantur ostenta, vel ostentorum similia; in quibus numeravit ipse Michael, quod aestimatas ingenti pretio mulas, quas iter agenti sibi commiserat externus quidam alio deferendas, et casu inopinato per viam amiserat; quo tempore invocabat Patavini auxilium, ab ignoto quaeritur homine, qui mulas ei tradit ad milliaria ultra viginti repertas. Id ab ore Michaelis

elapsum

elapsum est, cum de Antonii cultu promovendo fervidissimum agitaret sermonem cum quodam intime familiari; cui tamen, tanquam ipsum manifestati arcani poeniteret, altissimum silentium enixis precibus commendavit: nec certe familiaris ille rem aperuit, dum Michael fuit in mortalibus. Nos autem ab ejusmodi narrationibus, quae prodigii naturam cum redoleant, severiorem investigationem important, propositi nostri tenaces, ut semper in similibus fecimus, lubenter calamum cohibemus.

In his laboriosae vitae sudoribus ad canos Michael devenerat, cum, exilii lege Sociis Mexicanis indicta, tanto perculsus est animi moerore; ut hanc habuerit postremam calamitatem, nec nisi paucos menses, ac rationis consilio fere destitutus, ei superesse potuerit. Veramcrucem delatus, ubi cum caeteris navigandi occasionem praestolaretur; quoniam ab afflicto animo viribus erat summopere prostratis, ad saepius memoratum immittitur Nosocomium sub Augustini Marquezii gubernatione. Atque hic tandem adeptus est quietum illum, et subitum ab hac mortalitate transitum, nullo externo signo somni dissimilem, quem diuturnis, et flagrantibus votis desideraverat. Ante annos aliquot febri correptus lethaliter cum decumberet, atque ad mortis periculum mirifice terreretur; auditus est in haec alloqui Patavinum suum: *Opitulare mihi, ut semper soles, Antoni charissime: omnino enim fieri non potest, me cogitate, ac meditate postremum obire diem.* Anno

igitur

igitur 1767, tertio Idus Decembres, cum ab sola virium attenuatione in lectulo jaceret, rogatus a Marquezio, num vellet postero die, Mariae Guadalupanae solemnitati sacro, in ejusdem honorem Divina refici Eucharistia; id se velle, respondit, si a debilitate liceret. Noctem egit non prorsus incommodam, et mane diluculo decenter in cubili sedens, roboratus est sacro Pane, quod extremum ipsi fuit Viaticum, quin tamen agnosceret, eo se muniri ad aeternitatem. Post modicum enim temporis cum ad illum Marquezius rediret, jam vita functum invenit, sed in eadem positura sedentem, brachiis in crucem conversis, capite paululum inclinato, nihil incompositum, nullo penitus indicio comparente, quod torvum mortis aspectum aut vidisset, aut formidasset. Aetatis annum complevit sexagesimum: quiescit in Paroeciali Veracrucensium Templo. Mancam, plane fatemur, imperfectam, et summo compendio elaboratam esse hanc imaginem Michaelis Castilli, prorsus digni posterorum memoria: sed haec pauca, quae de illo scripsimus, in commentarium esse poterunt, siquando exurgat, quod optamus, qui Mexicanum hunc nostrae aetatis Apostolum plenius, et perfectius adumbret.

AUGUSTINUS PALOMINUS.

XAlapa, frequens oppidum, amoenum, et salubre in Mexicanis, famosi nominis est apud Hispanos negotiatores ab opulentis nundinis eo loci jam a principio hispanae dominationis institutis. Inter primos hujus oppidi tum genere, tum virtutibus eminebant Joannes Castrus Palominus, et Agnes Maria Luna, quibus matrimonio conjunctis, plures fuere Xalapae filii; atque ab hoc genere clarum est hodie in Havanensibus nomen Palominorum, quo tota fuit familia translàta radicitus. Josephus, et Augustinus, vix pueritia deposita, Societati Jesu nomen dederunt: ille natu omnium maximus, post annorum plurium sudores in annuntiando Christi nomine remotis Cinaloviis, cum iter ageret hispana ditione pulsus, in summa egestate Guaimis desideratus est. Augustinus autem natus decimotertio Kalendas Septembres, anno 1714, tenellus adhuc Angelopolim immigravit, operamque grammaticis rudimentis alumnus in Divi Hieronymi Seminario navavit. Ab illa expeditae rationis infantia inter alias virtutes apparuit praeditus mira innocentia, et animi candore; a quibus certe tota vitae serie, ubi ubi commoraretur, annumeratus est ad viros Nathanaeli similes, in quibus dolus non est. Haec magna-

gnarum virtutum semina ut suo tempore fructum ferrent, a Deo vocatus est in religiosam familiam; et sexto Kalendas Decembres, anno saeculi nostri 1729, aetatis ejus vix impleto decimoquinto, in tirocinium Societatis contendit. Et hic facile fuit informatus, et probatus, et Magistro quam charissimus; atque ad amoena studia statim a tirocinio evocatus, eminuit ingenio non vulgari, ut eminebat etiam modesta demissione, atque in pietatis rebus assiduitate. Hac eadem litterarii profectus, et constantissimae virtutis laude, philosophiae, ac theologiae curricula emensus est, semper inter primos probatus a Magistris, apud quos de more pericula subibat. Designatus a Majoribus Magister, qui ad Angelopolitanos latinitatis primum elementa, deinde rhetoricam traderet; puerilem aetatem admirabili patientia, et nihil aut plagosus, aut supercilio austerus, informavit; atque eodem tempore dictus puerorum Praefectus in Divi Hieronymi Seminario, illorum mores non absimili suavitate finxit ad probitatem, et civilem disciplinam, quam mentes in litteris erudivit. Sacris initiatus, et tertio probatus ex domestica consuetudine in Sancti Spiritus Angelopolitano Collegio, Zelayam immittitur operarius. Nec diutine ibi constiterat, cum itinere immenso et terrestri, et maritimo ire jubetur Emeritam in Jucatanis, infimae grammaticae docendae gratia, inde rhetoricae, postremo philosophiae: quibus in muneribus plausit civitas universa Palomini modestiae, ac navitati;

et

et ab ejus disciplina prodierunt optimi adolescentes, qui postmodum fuere decus palaestrae litterariae. Confecto philosophiae Magisterio, mare rursus ingreditur, Veramcrucem appellatus: ubi non quidem multum temporis consedit, magnis tamen laboribus desudavit in sacris audiendis confessionibus, et publice ad populum dicendo: singulariter enim a natura insignitus impetu quodam, et efficacia ad movendum, et persuadendum; non omisit, hoc sibi gratis a Deo commissum donum in animorum salutem adhibere. Tertium accepit imperium mari se committendi, renuntiatus Magister, qui Theologiam Havanenses edoceret. Qua in urbe id habuit ingentis admodum voluptatis, ut Parentum suorum conspectu frueretur, eosque quasi primum cognosceret: illi enim Xalapae, ut demonstravimus, olim commorantes, pene infantulum Augustinum ab suo complexu avulserant, ut Angelopoli elementariam, et litterariam institutionem acciperet, ipsisque interea in Havanenses immigrantibus, nulla tot annis fuerat opportunitas in desideratos amplexus veniendi, et se mutuis gratulationibus recreandi. Neque vero multum temporis Augustino licuit eo perfungi solatio: nam revocatus ad Jucatanos, Theologiam publice tradidit in Emeritensi Academia, eodemque tempore administravit Sodalitatem Marianam in Sociorum Templo institutam. Valuit quoque non modice prudentia gubernationis, quam in binis exeruit Magistratibus: Rector enim primum Collegii Sociorum

in

in Emeritensibus, qui et Regalis, Pontificiaeque in eadem urbe Academiae Rector antiquo jure appellabatur; inde domicilii Superior in Campechiensibus, magna semper cum laude se gessit; eique plausus, et venerationem externi tribuerunt; atque ipsum Socii coluerunt quidem, sed maxime dilexerunt, et ab eximia charitate, profunda demissione, morum elegantia, et suavitate praedicarunt: et evehendus fortasse fuerat ad amplissimas in Provincia dignitates, nisi postrema calamitas contigisset.

In hoc erat, quem diximus, postremo Magistratu, cum Regio indicitur decreto, Socios universos ab Hispanis abire. Debilem vero, et macie confectum Augustinum, qui et fere perpetuo valetudine vexabatur, et tum temporis ab recenti morbo tertianae febris aegre convalescebat; id itineris immensi omnino agere non posse arbitratus est Praefectus ab Rege in Jucatanis. Quare nuntius ab Emerita Campechium convolat, qui ejusdem Praefecti nomine Rectorem liberalibus verbis invitat, ut Campechii remaneat usque ad reparatas vires, et confirmatam perfecte valetudinem. Ille autem postquam benevolum Praefecti animum multis rependit gratiarum actionibus: *Malle se*, inquit, *aerummis oppressum emori, quam avelli ab Sociorum contubernio: nec enim aut valetndinem, aut vitam ipsam tanto sibi esse dolore dignam; tametsi nihil dubitaret, nullum desiderari posse officium, quod sibi Campechienses lubentissime non praestarent, a quibus jam diu erat, cum singu-*

laris

laris benevolentiae significationes acceperat. Ita demum, Regio Praefecto permittente, in Sociorum comitatu vela solvit Campechio, et nunquam valetudini restitutus, diuturnam, et aeque incommodis, ac periculis refertam navigationem in Gaditanos confecit; ac post varios casus, et stationes in portu Mnestei, Nova Carthagine, Adjacioque, ditionem tandem attigit Pontificiam, atque ex Majorum imperio in Castro primum, cui nomen Medicina, deinde in altero, quod appellant Guelfum, consedit. Et hic vitam egit omnino inculpatam vir gravissimus, cui nulla erat in mortalibus cura, nullum oblectamentum. Nisi pro sacris religionibus, aut honesta deambulatione in bonum valetudinis, nunquam extra domum Augustinum conspiceres; et tum modestam pietatem respirabat, quae Castellanorum oculos in admirationem rapiebat. Haec autem paulo ultra novem menses: nam cum sensim destitueretur viribus, atque ut erat jamdiu suspiriosus, ducendi spiritus difficultas incresceret; de coelesti peregrinatione ferventius cogitare coepit. Anno ineunte 1770, Socium quemdam intime sibi necessarium alloquens, haec aperte pronuntiavit: *Equidem nihil ultra sum dubius, hoc anno me a mortalibus abiturum*. Et profecto accitus in auxilium Medicus dimidiato Januario, non pluries venit, quin de salute hominis desperaret; ac tandem pridie Nonas Februarii post prandium imperavit, illi porrigi coelestem Cibum pro viatico aeternitatis. Nihil hic nuntius luctuosus accidit Augusti-

no, qui confestim, vocato ad se Socio ab sacris confessionibus, totius anteactae vitae arcana deposuit; atque inde Sociis omnibus in ejus cubiculo congregatis, ultro iterare voluit, et ingenti gaudio iteravit solemnia vota, quibus olim fuerat in Societatis Professos annumeratus. nec dimitti conventum illum, sibi jucundissimum, passus est, quin se noxarum in Societatis leges reum apud omnes diceret, ac veniam suppliciter postularet. Id autem ea fecit verborum efficacia, et religione, ut adstantium plerique lacrimas non tenerent. Prima noctis vigilia, loci Parochus, agmine Cleri facto, Divinam dapem attulit; quam cum suscepisset aeger maximis gaudiis delibutus, et fato proximus crederetur, sacro etiam oleo inunctus est. Postridie vero meliuscule se habere coepit, ac saepius postmodum pietatis ergo resumpsit panem Eucharisticum. Toto vitae spatio addictissimus fuerat Augustinus Mariae Virgini, quam titulo Matris Luminis peculiari colebat pietate; postremis autem illis diebus jucundi erat spectaculi, quas ad illam religiones, et quam ferventes preces ingeminaret. Sed urgebat fatalis hora; et Sociis omnibus juxta aegri lectum convenientibus, cum Ecclesiae precibus Deo commendaretur anima jam prope ad aeternum Judicem itura, et ad ea verba ventum esset: *Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum non negavit*, haec recitantem interpellavit ille, ac moribundis labris: *Haec*, ait, *precor*, *adjicias*: *Et licet plane indignus*

con-

contubernio Sociorum, in eo tamen ad hanc horam ex Dei misericordia duravit. Tanquam enuntiare vellet in extremo certamine positus, magnum sibi esse solatium, quod in ea militia usque ad interitum depugnasset, in qua tenellus coeperat mereri stipendia. Et quo plus appropinquabat in mortalitatis exitum, hilarior esse videbatur purissimus ille animus, et sane maturus ad gaudia aeternitatis; pluries enim auditus est in haec erumpere: *Oh Deum misericordem! ingentibus, et ineffabilibus in hac hora cumulor voluptatibus!* Postridie tandem Idus Februarias, anno praedicto 1770, in suavissimis colloquiis cum Maria Virgine, atque in ferventissimo Numinis amore, nullis omnino agitatus angoribus, nullis animi a corpore avolantis indiciis, hora circiter post meridiem, quasi placidissime dormiret, fato concessit, annos natus quinquaginta quinque, ac fere dimidium. Quae binae sunt eo loci Sodalitates, ultro se obtulerunt, et funebrem pompam nulla mercede comitatae sunt. Melchior Brancolinus, cui primum erat in pago Sacerdotium, generose, ac magnifice justa solvit, adstante Clero, et Sociis, quotquot ibi commorabantur. Jacet in Templo Guelfi principe, ubi aram habet Lojola, ejusdem Templi Patronus inter primos, et quem incolae summa veneratione prosequuntur.

Excelluit in Palomini virtutibus intaminata sinceritas, quae nullas novit artes fingendi, aut assentandi. Ab indole inprimis affabili, a

charitate, a munificentia, Superior fuit domesticae pacis amantissimus, et subditis acceptissimus. Religiosa inopia, quam vivens fideliter coluerat, post ejus interitum fuit oppido manifesta: nihil enim reliquit, nisi libros pauculos, attritas vestes, aliaque id generis, quibus pannosus quisque fere non caret. Quod autem pretiosius in suis rebus inventum est, ea fuere macerationis instrumenta, quibus ad bellum, et assiduas victorias de suomet corpore, ac de animi motibus, utebatur: et erat in illis crux ferrea, quam pluribus acuminibus horridam ad pectus alligabat. Nulla unquam calamitas, nulla aerumnarum multitudo movit hominem a tranquillissima patientia, in qua certe fuit magnanimus; quin imo quidquid rei subitae accideret, quod bilem intus excitaret, in haec illico mansuetissimus erumpebat: *Id unum volo, quod est a Numinis voluntate*. In amoribus habuit, Superiorum exequi nutus etiam levissimos; in Superioribus autem non eos duntaxat numerabat, quibus erat auctoritas ab Supremo Societatis Magistratu; sed Medicos etiam, et valetudinis administros, quorum vocibus non demississime obtemperare, omnino nefas duxisset. Animorum saluti consuluit indefessa opera, strenua navitate, salutaribus verbis, tum Magister ad plura lustra, tum conscientiarum arbiter in poenitentiae tribunali, tum praesertim Orator in sacris concionibus, pro quibus erat illi facundia sane facilis, plena, et mirabiliter efficax; atque adeo saepius invitabatur

ad

ad rem Christianam annuntiandam, ad coelestium laudes praedicandas. Erat natura hilaris, urbanus, atque admodum festivi sermonis; qui vero nullius dignitatem offenderet, nec audientes vel minimum pungeret, nec (ut solent interdum, qui lingua jocosa sunt) in absentium detractionem desineret. Laudabilis apprime ab animi demissione, parce nimium de suismet dotibus et corporis, et animi sentiebat; et semper pronus ad referendas gratias pro levibus quibuslibet officiis in se collatis, quandoque videbatur ad significationes immodicas declinare: ita quidem postremae infirmitatis tempore nunquam cessabat a praedicandis obsequiis, quibus immeritum se, ut ajebat, Socii cumulabant. Sed ita parce de se opinantem Deus extollere voluit vix ab interitu: Guelfensens enim tum ex ordine primario, tum ex infima plebe, palam per vias illum laudabant, et *Patrem Sanctum* appellabant; et de ipsius pannosa supellectili quidquam habere venerationis ergo, certatim enitebantur. Noverunt Socii, et venerati sunt; noverunt etiam externi, et apertis laudibus extulerunt meritum hominis, quod unus ipse despexerat.

MICHAEL SABEL.

Elegantia morum, ingeniique suavitate, quibus abuti solet mortalis infirmitas ad animorum perniciem; Michael Sabel usus est ad amplissimum religionis, et pietatis aedificium extruendum. Sexto Idus Januarias, anno 1710. natus est Portu Regali, quod subest oppidum Gaditano Pontifici. Litteris elementariis, et calculo, et grammaticis disciplinis imbutus, ad mercaturam destinatur, atque in Novohispanos transfertur. Neque vero diu perseveravit in eo mercatoris officio; sed Magistratus Ecclesiastici scribam agere cum maluisset, in eo munere Mexici vixit annos aliquot, ubi mores explicavit ingenuos, urbanos, honestissimos; et tum admirationi, tum exemplo fuit omnibus, qui cominus illum intuebantur. Decimo quinto Kalendas sextiles, anno 1739; cum aetatis explesset undetrigesimum, humanis rebus in Societate se abdicavit, ac Tepotzotlani tirocinium posuit jam singularibus ornatus virtutibus. Praesertim vero excelluit tum animi demissione, quam, velut humilis suae conditionis fundamentum, ab religiosae vitae primordiis adamavit; tum inflammato studio Divina meditandi, sive genibus flexis ante Numen Eucharisticum, sive in cubiculi recessu, sive inter vacandum operis; tum vultus modestia,

quam

quam minime fucatam, aut conatibus acquisitam, sed quasi natura ingenitam, constantissime coluit. Intelleximus a viro probo, et veracissimo, qui prima religiosae vitae stipendia meruit, quo tempore Sabel erat in tironibus: hunc jam grandaevum, et aulicum, ita facile Sociorum mores arripuisse, ut teneram apud eos aetatem posuisse videretur; nec ab iis institutis, et castigatissimis moribus, quibus in tirocinio vixit, reliquo vitae cursu vel minimum defecisse.

Statim ab exacto biennio, tam probatae virtutis, et maturi judicii visus est, ut ad operosum munus administrandi praedia Majores illum designaverint. Id erat muneris omnino plenum periculis, nisi mitteretur administer, qui probitatem ex animo coleret, ac profundas egisset radices in christiana submissione, religiosae inopiae studio, caeterisque virtutibus, quas Adjutorum esse maxime proprias, Lojola Societatis Conditor inculcaverat. In illa enim rusticana commoratione, nisi Divinae charitatis interna lex Administrum moveret; nulla domestica disciplina, nullo praesente Magistratu, nullis factorum ejus testibus, vitam poterat ad arbitrium instituere. Sed comprobavit eventus, optime judicasse Provinciae Moderatorem, qui Michaelem Sabelem ab strictissima tirocinii vita venientem, procurationi praediorum admovere statim nihil gravatus est. Sabel quidem quotidie mane ante lucem surgebat; ante Jesu cruce affixi, Dolentisque Mariae simulacra ge-

nuflexus totam horam Divinis meditationibus insumebat; in domestico sacello ad aras facienti ministrabat; et hinc e vestigio tum domi, tum foris ad opus festinabat. Suis manibus pastinare agros, occare, sarrire, nihil eum pudebat, vel ut novitios in opera doceret, vel ut ignavos, atque oscitantes ad laborem exstimularet. Redeuntem in cubiculi solitudinem non otium, aut segnis requies excipiebant; sed aut lectio de sacris rebus, aut precationes ad Mariam Virginem, quam fervida religione semper coluit, utiliter occupabant. Bis in die suamet facta, et dicta, et cogitata (quod erat communi lege Sociis indictum) accuratissime rimabatur; frugi quidem, nec nisi tempore constituto, reficiebatur; in notandis accepti, et expensi rationibus diligentissime fidelis erat; cum famulis, atque operis, quarum erat pro rusticanis laboribus ingens copia, non plagosum, non superciliosum, non imperiosum, non iracundum se gerebat, sed mirifica suavitate, quoties opus esset, corrigebat; et charus omnibus ab ea dulcissima benevolentia, quam nemini non praestabat, quidquid assequi vellet, etiam a nolentibus extorquebat. Nonnullae solebant, ut fert natura rerum, ejusmodi Administris oriri concertationes cum externis praedio conterminis, aut qui judicii potestatem in pagis exercebant, aut qui sacra ministrabant, aut qui rem, quisque suam, in vicinia procurabant. Sabelem vero notissima temperantia, mansuetudo, mores elegantissimi, et charitatis abundantia

tia tam amabilem fecerant; ut non solum esset nemo, qui de illo conquereretur, verum etiam omnes ipsum colebant, praedicabant, interdumque suarum inter se altercationum arbitrum, et sequestrum venire precabantur. Id autem continenter ad quinque lustra, quibus fuit per diversa loca praediorum Administer: nam et procuravit Collegii Divi Andreae praedium, a Divo Michaele nuncupatum; et multos annos Chicomozelum; et ab hoc appellatus in alterum, cui nomen a Diva Lucia; quo nimirum tempore praedium istud, ab externo quodam plures annos administratum, placuit Majoribus, ut Sabel ab eo reciperet; ac longa doctus experientia, rebusque agendis apprime idoneus, Adjutorem alium huic procurationi designatum, consiliis erudiret.

Sed majorem quinque lustrorum partem egit Chicomozeli, quod Divorum Petri, et Pauli Collegii praedium erat amoenissimum, et coeli saluberrimi, atque ab urbe Mexico fere triduo distabat. Rem hujus praedii cumulatissime adauxit; non certe quoniam avare parceret, aut ab Sociorum, quorum plures habebat secum, alimento corraderet; sed quoniam accurate, ac fideliter administraret; nec ab sudoribus diu, noctuque cessaret; nec vel assem inani dissipationi concederet. Praeter coeli salubritatem, et jucundissimam loci naturam, Administri suavissima urbanitas plures invitabat, ut Chicomozeli rusticationem optarent; vel essent senes emeriti, longissimo cadentes aevo, nec

jam

jam laboribus idonei; vel Magistri, quibus liberum erat in hoc, aut illo Collegiorum praedio feriari; vel infirmi, aut a morbo recentes, quibus optio dabatur a Magistratibus, ut rus peterent confirmaturi valetudinem. Et Sabel quidem non solum neminem ultro accedentem repellebat, sed et alia omnia cogitantes appellabat, urgebat, precabatur, ut ad se venirent; atque omnes aequabili charitate, vultuque semper placido, et liberali, quanto tempore in praedio commorari vellent, excipiebat; lauteque illos, ut pro religiosa tenuitate, tractabat. Joannem Martinium, Socium Adjutorem, aeque morbis, ac senio confectum, olidum, horridum, et toto corpore ulcerosum, in Mexicana Professorum domo Sabel visitavit; et misericordia commotus, enixe postulavit, obtinuitque ab Superioribus, concedi sibi Martinium, quem deferret Chicomozelum; ubi delatum, accuratione maxima recreabat, suis ipse manibus languenti ministrabat, nulli parcebat industriae, quo jacentem erigeret; donec morbi gravitate oppressus aeger, inter assidua misericordis Administri officia vitam difficillimam clausit. Michael Venegas, vir clarissimi nominis in Mexicanis ab ingenii, prudentiae, fortitudinis, aliorumque tum naturae donorum, tum animi virtutum excellentia, multos annos hydrope tentatus, postremam canitiem Chicomozeli posuit: cui Sabel et cubiculum, quod domi esset accommodatius, et quod fuerat Administro destinatum, libenter concessit; et nullam non obtulit, ut pro morbi

con-

conditione, jucunditatem; et incredibilem observantiam semper attribuit; et omnino nihil omisit, ut Venegas in eo statu valetudinis longissimum senium protraheret. Ac fuit aliquando tempus, cum tot Socios invalidos praedium illud numerabat, ut festive nonnulli dicerent, Chicomezelum esse Sociorum valetudinarium, Sabelemque non tam praedii, quam omnium valetudinis administrum. Id autem erat praecipue mirum, quod nemo redibat a Sabele, quin ejus indolem suavissimam, et generosam largitatem, et urbanam elegantiam, et actuosam charitatis industriam praedicaret.

Internam rusticanae domus ejus gubernationem ita Sabel instituerat, ut Collegiorum, aut potius tirocinii disciplinae quamsimillima videretur. Qui rei domesticae inserviebant, praefinitis modestiae, silentiique legibus assueverant: quod si externus alius aut Sabelem, aut Socium alterum conveniret; ingens ubique silentium cum animadverteret, vocem extollere non audebat, ultra quam posceret familiare cum religiosis viris colloquium. Foeminis omnino interdictum erat, ibi pedem inferre; cum vero res exigeret, ut Administrum alloquerentur, ad domus januam, vel alio publico in loco dabatur eis libera conveniendi facultas. In eo praedio nefas erat, constitutam horam vel pro sacris rebus, vel pro prandio, caeterisve disciplinis domesticis praeterire. Jucundum erat intueri Sabelem coram senibus emeritis, quasi tironem coram tironum Magistro. Duo senes ejusmodi plures annos Chi-

como-

comozeli poſuerunt; quos ita ſemper obſervavit Adminiſter, ut quidquid ingenuo, verecundoque puero coram Patre non licet, id Sabel quinquagenario major in eorum conſpectu ſibi licere non crederet. Semel quotannis iter inſtituebat Mexicum, ut procul a negotiis in Divorum Petri, et Pauli Collegio ſacris meditationibus totos octo dies vacaret; quo ſane tempore is erat oculorum modeſtia, ſilentio, ſtudioque ſolitudinis, ut qui virum non praenoviſſet, ferventiſſimum eſſe novitium exiſtimaret.

Navigare juſſus ad Italos, nec in re ſubita ſerenitatem vultus amiſit, nec in adverſa conqueſtus eſt, nec ad itineris difficultatem expavit. Prope ſexagenarius, nec omnino jam integra valetudine, immenſam egit navigationem, itineraque terreſtria, ſemper tranquillus, et mire temperans; donec ad ditionem Pontificiam perveniens, Ferrariae quieſcere juſſus eſt. Atque ibi quidem vitam inſtituit hoc uno diſſimilem anteactae in praedio, quod nullis jam obrutus negotiis, liberius intendebat ſacris lectionibus, et meditationibus; ut ſaepius etiam, ac diuturnius in templis Numen Euchariſticum adorabat. Caetera vero nunquam non eum comitata eſt eadem oris affabilitas, eadem ſermonis urbanitas, eadem morum ſuavitas, idem modeſtiae ſtudium, eademque voluntas omnibus, et ſingulis obſequendi. Profecto non potuit totum ibi ſe tradere Sociorum famulatui; quoniam iſchiadicis doloribus vehementiſſime torquebatur. Neque vero, quoties operam praeſtare

stare poterat, omittebat: nulla enim temporum injuria delevit ab ejus animo, quam in tirocinio demissionem didicerat, et quam toto religiosae vitae cursu propensionem ad servilia manifestaverat. Annum vixit post eversam Societatem, assidue luctans cum doloribus, quos patientissime toleravit. Nonis demum Septembris, anno 1774, aetatis ejus currente sexagesimo quinto, Ferrariae vivere desiit, atque ad Paroeciale templum, cui nomen est Sancta Maria in Vado, fuit elatus.

JOSEPHUS OLAVARRIETA.

DIstribuit ad arbitrium, qui facit homines Deus, huic bonam, et mansuetam naturam, illi ferocem, et iracundam; sed aeque sui potens, ac dominus uterque, in id creati sunt, ut viam virtutis currentes, in eamdem metam conveniant; nisi quod primus naturae obsequitur, alter vero ingentes conatus efficit, ut difficile ingenium assidua victoria debellet. Nec apud Christum olim judicem licebit mortalibus excusationem intemperantis animi causari, quod sortiti non fuerint mansuetam indolem; cum plures noverimus acri, et vehementi notos ingenio, qui tamen hoc naturae vitium ratione, ac virtute castigaverint; et quasi nescirent iracundiam, heroes eximiae mansuetudinis in mundi theatro comparuerint. In his annumeramus Josephum Olavarrietam, Zacatechis natum in Nova Hispania, decimoquinto Kalendas Apriles, anno 1719. Omnino ignoramus, quibus virtutibus pueritiam, et primam adolescentiam exegerit; sed anno aetatis ejus currente decimo octavo, Societati dedit nomen, ac fuit in tironibus fervida pietate, insigni modestia, religionibus deditus, atque ea demissione clarus, quae suam Adjutoris conditionem maxime decebat. Sed has virtutes non fuisse adhuc in ejus animo profun-

dis

dis radicibus confirmatas, palam demonstravit modico tempore post confectum tirocinium: coepit enim genio indulgere; motus animi parum, aut nihil emendatos patefacere; mundam elegantiam non in pannoso voluntarie inopis cultu quaerere; incessu, gestu, et omnibus externis moribus nihil respirare dignam viri Deo sacri gravitatem; et fere videbatur e Sociorum numero tandem aliquando expungendus. Placuit Supremo Provinciae Magistratui, relegare Olavarrietam in Tepotzotlanense tirocinium; ut, si ardentis aetatis vitium esset, ibi denuo condisceret morum dignitatem, ubi religiosae vitae initia magno pietatis nomine posuerat. Quo sane tempore immisit illi Deus morbum adeo periculosum, ut vix crederetur effugere mortem potuisse. Sive igitur a novitiorum exemplo, sive ab imminentis vitae discrimine, quia fere sepulchrum attigisse existimabat; superioris licentiae Olavarrietam poenituit, arctissimumque vivendi genus, a quo nihil ad postrema usque suspiria recessit, aggressus est. Quod autem raro videas in ejusmodi conversionibus; non ille paulatim, et lentis gradibus ad altissimam perfectionem devenit; sed repente visus est mores alios, aliam mentem induere: nec in Divinis meditationibus, in suis animi motibus frangendis, in eximia demissione, quasi novitius erat; sed emeriti, ac veterani continuo fecit stipendia.

Et quidem ab eo tempore totus fuit in colendis virtutibus, iis praesertim, quae perfe-

ctum

ctum virum in humili suo statu constituunt; omnino factus ad normam Adjutorum, quales in primo Societatis aevo Lojola informavit. Ex ejus vultu, et totius corporis habitu mirabilis quaedam pietas elucebat, affabilisque temperantia, quae ad excitandum virtutis amorem inprimis erat idonea. Servilibus obsequiis addictissimus nullum unquam laborem recusabat; disciplinam domesticam navitate summa observabat; inopiae voluntariae admodum studiosus, nulli rei corde adhaerebat in humanis, et quae pro suis usibus habebat, egenis facile largiebatur; omnibus affabilem, et jucundum se praestabat, sed suavissimis verbis, qua poterat, afflictos recreabat; natura, ut demonstravimus, vehementissime iracundus, videbatur praecipuam in suis dotibus habuisse mansuetudinem, nec nisi semel, quod audierimus, post memoratam conversionem parum concessit bilis assultibus; ad Sacerdotes tanta erat veneratione, ut, nisi nudo capite, fere ad eos non accederet; idque, quanquam illi esset pro munere occasio quamsaepissime ipsos conveniendi. Designatus Ludimagister in Angelopolitanis, nullum non adhibuit conatum, ut teneram aetatem ad Christianae virtutis eminentiam informaret. Nec facile dijudicaveris, uberioremne fructum retulerit ex assidua defatigatione in erudiendis auditoribus, an ex fama sanctitatis, quae magna inter ipsos inoleverat. Superest Sacerdos maturi judicii, et notae probitatis, qui Olavarrietam ea tempestate in elementariis audiebat; et nunc etiam

se maximopere commoveri testatur, quoties in memoriam revocat tum pium fervorem, quo Marianas preces ille fundebat alterne cum discipulis; tum ipsius eloquentes, conditosque Divino amore sermones, quibus pueros inflammabat, mirabilique dexteritate se se in eorum animos insinuabat. Annos inde Mexici plurimos egit Janitorem in laboriosissima Professorum domo; ubi omnigenae virtutis illustria reliquit vestigia. Et erat in ea domo Janitoris officium gravissima sane opera, quam nemo unus poterat sine valetudinis jactura diutius continuare: nam praeter diurnum laborem in eundo, redeundo, conscendendo, descendendo, nuntiis ultro, citroque deferendis; praeter diligentissimam, et nulla diei parte intermissam mentis intentionem, qua debebat intelligere, quis e Sociis domo pedem efferret? quis a negotiis rediret? quis ab externis requireretur? praeter haec, inquam, quae totum hominem, eumque robusta natura, occuparent; destinatum nocturno somno tempus nunquam fere agebat Janitor, quin semel, iterum, tertio, a pulsantibus fores excitaretur. In urbe frequentissima, quae numerat capitum tercenta millia circiter, inter mira narrabatur, siquando nox tota transiret, quin auxilium moribundis a Professorum domo postulaturus aliquis adventaret. Olavarrieta vix e lecto audiebat, significari tintinnabulo, esse ad januam, qui Sacerdotem posceret pro sacris morientis confessionibus; e vestigio surgebat, et Socium, cujus vices erant, festinanter

vocabat. Qui Socius cum redibat ab opera, sive rem celeriter expediret, sive duarum, triumve horarum moram faceret; semper illum in promptu ad reserandam januam inveniebat. Nec semel audita est ab ejus ore conquestio, nec visus est vultu minus tranquillo, et demisso; tametsi saepius eadem nocte, ut non raro contingere opus erat, excitaretur. Haec autem mansueta constantia, qua semper excipiebat venientes ad domus januam, mirabilior quidem erat, cum morbi frequentiores per urbem debaccharentur. Alibi a nobis demonstratum est, quam strenue, ac studiose in publica aerumna subvenerint Socii Mexicanis anno 1762, cum febrium contagio per totam urbem ad internecionem grassata est. Olavarrieta sane, qui non aliter poterat, in Janitoris officio incredibiliter insudavit, huc, atque huc per totam domum errans, et fere nunquam cessans ab ascendendo, et descendendo, ut vocati Sacerdotes in miserorum subsidium advolarent. Nec minori efficacia, quo toto tempore fuit Janitor, animorum salutem, ut in suo poterat statu, procuravit: colloquentem enim de Divinis rebus facundia non deserebat; eaque mirifice alliciebat externos, qui magno numero diversis illuc nominibus conveniebant. In id potissimum sermones ejus adnitebantur, ut virtutem depingeret amabilem, ut ad animos poenitentia expiandos invitaret, ut Eucharisticae dapis religionem accenderet. Quae Divina colloquia cum maximopere commendaret affabilis quaedam temperantia, et singularis oculorum

lorum

lorum modestia, quos humi fere defixos, nunquam in audientis vultum convertebat; plures numerabantur, qui ab ejusmodi sermonibus ad scelerum detestationem, et castigatam vitam se receperant. Et certe cum liberaliter, et humanissimis verbis Olavarrieta exciperet universos venientes in domum Professorum; tum magnis laudibus ejusdem mira aequabilitas, et virtutes aliae praedicabantur; tum decorum nomen religiosae comitatis in Socios omnes redundabat.

Mexico egressus in communi Sociorum calamitate, per itineris incommoda impiger fuit, ac laboriosus in servilibus ministeriis, atque omnibus gratificandi studio conspicuus. Apprime vero fuit utilis cuidam caeco, qui nisi tam strenua charitate virum invenisset, resistere profecto non poterat immensae peregrinationis terra, marique incommodis, ac periculis. Caecus erat iste Augustinus Arriola, Sacerdos insigni probitate, cujus obsequiis totum se Olavarrieta devovit, eique fuit, instar Azariae, dux peregrinationis, et perpetuus vitae comes totos octo annos, quos adhuc in vita duravit. Jucundi erat spectaculi, mirabilem, et actuosam ductoris industriam conspicere, ut hominis orbitatem charitatis abundantia molliret. Sui pene oblitus, tanquam ipse sibi nulla re omnino indigeret; totus erat in quaerendis orbo suo iis commoditatibus, quibus misera ejusdem conditio aliquanto sublevaretur. In qua quidem procuratione, quanta passus fuerit Olavarrieta, facile argumentabitur, qui ad tumultuosam peregrinationis ratio-

tionem, ad peregrinantium multitudinem, ad hominum diversa ingenia, et nonnullorum incogitantiam, animum velit advertere. Plures profecto, qui ab Arriolae vel reverentia, vel miseratione tenebantur; facilius erumpebant in ductorem, cui gestu, et interdum verbis indignatum animum demonstrabant. Ille vero tametsi natura, ut supra diximus, inprimis ardenti, atque iracunda; placidissime tamen silebat, quasi aut nihil penitus audiret, aut injuriae sibi essent in delitiis: idque potissimum curabat, nequid ejusmodi in aures hominis, nihil tale meriti, perveniret. Insuetus Olavarrieta maris jactationibus, non modice commotus inedia, et nausea navigabat; sed qui sibi satis esse vix poterat, nunquam non praesto fuit ad Arriolae ministeria. Bastiam in Corsis cum attingeret; mensem fere ibi exegit admodum laboriosum: nam et in re domestica, ut suae conditionis erat, plurimum insudavit, et assumptam operam huc illuc tota die ducendi Arriolam non deposuit. Ipso pone sequente, per urbem vagabatur, et lanium, et pistorem, et pomarium conveniebat, ea coempturus, quae rei familiaris administer imperaverat. Transductus in Pontificiam ditionem, Bononia illi designatur commorationis locus; ubi ejusdem orbi comes individuus et domi, et foris, plura dedit tum Sociis, tum externis constantissimae pietatis documenta. Per publicas urbis vias, cum vel in templa, Numen adoraturi, vel in aegrotos contenderent (quibus duntaxat de causis domo egre-

die-

diebantur.) Marianas laudes alternatim dicebant. Domi nemo demissior, nemo utilior, nemo in rebus omnibus temperantior, nemo ad consuetas religiones aut promptior, aut ferventior Olavarrieta; qui nec habitationis incommoda, nec summam inopiam lamentari unquam auditus est, nec ullo adversae fortunae casu dolere, nec fere loqui nisi verba jucunde urbana, et quae coelestium sapore quodammodo condirentur. A quo mirabili tenore vitae nihil descivit post extinctam Societatem: nam veste immutata in obsequium obedientiae, in iisdem castigatis moribus, et caeco praestitis officiis fuit constantissimus, donec supremum spiritum ipse ante Arriolam emisit. Post biennium, et binos menses in novo statu confectos, brevi correptus valetudine, ac sacris omnibus Ecclesiae more praemunitus, in dulcissima tranquillitate fato concessit, tertio Kalendas Novembres, anno hujus saeculi 75, aetatis ejus currente quinquagesimo septimo. Quiescit ad Sancti Benedicti vir iste in Mexicanorum fastis memoria dignissimus; quem apud nos laudans quidam probitate, ac doctrina spectabilis, haec asserebat: *Joſephus Olavarrieta tantae fuit magnitudinis a pluribus virtutibus, praeſertim vero a domitis animi motibus, ut inter illuſtres noſtra aetate Mexicanos nemo ſane, quod meminerim, majori ſui admiratione me defixerit.*

PETRUS CESATUS.

MAgnopere dolemus, post ingentes conatus perquampauca potuisse colligi de viri virtutibus, cujus nomen sine dubio referri debet inter prima, et clarissima Mexicanae Societatis. Nobis quidem non contigit, hujus consuetudine fungi, vitamque ipsius inculpatam cominus perscrutari, nisi ad Castrum Divi Petri, cum octogenario major postremam aetatem ageret. Sed tum ab intimis colloquiis, quae nobis eo tempore licuit cum ipso conserere, tum etiam ab universorum acclamatione, satis comperimus, hominem fuisse innocentia, religioneque singularem, animi candore columbam, mansuetudine laudabilem in paucis, christiana vero demissione dignum omnino, quem legat cum admiratione posteritas. Is fuit Petrus Cesatus, qui patriam habuit Xaltenangum, oppidum Novae Galleciae sub Guadalaxarensi Pontifice. Decimo tertio Kalendas Februarias, anno *1696.* natus est Patre, cujus erat nobilissima in Mediolanensibus origo; Matre vero, cui par claritudo ab Hispanis ad illum orbem translatis. Et paternus quidem Cesati avus fuerat unus e Senatoribus Regiis, qui toti Novae Galleciae, quamlongissime illa patet, Guadalaxarae jus dicunt. Cum pueritiam laudabiliter Petrus traduxisset, mature pertaesus rerum humana-

manarum, Societatis militiam secutus est, Tepotzotlanensi tirocinio aggregatus quinto Nonas Majas, anno saeculi currentis undecimo, aetatis decimo quinto vix completo. Tiro religionibus ferventissimus, consuetudine cum aequalibus admodum affabilis, et mirifice demissus, placitis Majorum obsequentissimus; post biennium transivit ad politiores litteras, atque inde ad graviores philosophiae, theologiaeque disciplinas, quarum emensus cum laude curricula, meruit inter primos coronari, Magistrorum judicio designatus, ut Theologiae, jurisque Pontificii theses Angelopoli propugnans, diem totum ageret in palaestra litteraria.

Guatimalam, urbem Mexico distantem nongentis fere milliaribus, ut grammaticam primum, deinde philosophiam traderet, jussus contendere; tametsi jam tentatus valetudine, potens tamen animi viribus iter arripuit, et summa cum accuratione quinquennium in eo munere collocavit. Appellatus postmodum Theologiae Doctor in Angelopolitanis, magnam vitae partem ibi posuit, omnibus probatus, et laudatus, uni sibi despectus, et flocci habitus. Quae sane opinio de semet incredibiliter vilis innumeras fluctuationes in ejus animo commovebat: nam ineptum, et rudem, et hominum imperitissimum cum ex animo se crederet; in perpetuis erat secum ipse confligendi conatibus; et honores Magisterii reformidabat; et ad laudes, quae illud consequebantur, velut ad convicium exhorrescebat; et penitus mirabatur,

tanquam ad monstri speciem, quod hominem nullo numero habendum, qualem se putabat, in hoc honorum curriculo Magistratus Provinciae collocassent; ac fortasse, ut ajebat, cum Societatis dedecore, tot annos retinuissent: a quo quidem dedecore nihil erat alienum magis; cum tot annos ipse inter praecipuos e doctis hominibus Angelopoli esset, atque a prodente se se christianae virtutis odore, venerationi semper cunctis fuisset demissisimus, et prudentissimus vir. Sed cum Cesatus esset ex illis bonis mentibus, quae ibi (quod Gregorius laudat) culpam agnoscunt, ubi culpa non est; praeter vilem suimet opinionem, intestinus etiam anxiarum cogitationum aestus cruciabat, exagitabatque perpetuo metuentem Deo displicere: atque inde quidquid ageret, impeditissimis dubitationum ambagibus torqueri cernebatur, num id agere posset? num culpa vacaret? Jusjurandum vero, quod emittere Magistri tenebantur, de doctrina Sociorum, qui postremum in re philosophica, theologicaque periculum subibant; mirum erat, quantum anxietatis, et negotii Cesato afferret: nam aut verebatur, animo se non satis intento adfuisse propugnationi thesium; aut penitus negabat, tantum sibi esse doctrinae, ut judicium pronuntiaret. Quam quidem horarum omnium dimicationem, ab immodico timore natam, in suis omnibus factis, et verbis, et cogitatis, Deo displicendi, toto vitae cursu perpetuavit, et in sepulchrum intulit. Nullum certe gravius

bel-

bellum amanti Deum, quam ejusmodi non interruptae ad summos canos anxietates, et ab his animus nullo unquam oblectamento delibutus!

Interea Cesatus Angelopoli praeter Magisterii vigilias, oratorium etiam munus, facili, et neque invenusta, neque debili eloquentia et domi, et foris exercebat: et qui tot secum ipse anxietatibus cruciabatur, ab aliis erat quaesitus consilii causa, quibus miti, ac prudenti sapientia solatium porrigebat: nec deerant, quos in sacris confessionibus frequenter expiaret. Quibus ad plures annos exactis occupationibus, designatus Mexici Praefectus Marianae Sodalitatis, quam a Dolente Virgine vocabant, paucos menses in eo munere posuit; cui muneri ut satisfaceret, tametsi doctrina, et virtutibus excellebat, pares tamen immenso labori vires non habebat. Eloquentia quidem in dicendo praestabat, eaque vere oratoria, nervosa, crebrisque conspersa sententiarum luminibus, quas ab assidua Doctorum Ecclesiae lectione derivarat. Sed cum esset ejusmodi Praefecti, pagos aliquot Mexicanae ditionis bis in anno sacris expeditionibus lustrare; quod onus gravissimum robustam oppido valetudinem exigebat; brevi Cesatum ab eo loco Majores removerunt, eique Sociorum institutionem, qui tertiae in re pietatis probationi dabant operam Angelopoli, commiserunt. Hujus administrationis, quae tanti erat in Societate momenti, partes omnes attigit toto decennio: cum Sociis enim, quos instituebat,

bat, erat eximiae charitatis, et summae manſuetudinis; quin ab iis, qui fortaſſe peccarent, corrigendis deficeret. Nemo fuit toto illo tempore, qui vel acerbam verborum ſeveritatem, vel vultum ſuperciliosum, vel infeſtum animum ulla ſignificatione ſibi a Ceſato demonſtratum conquereretur; nemo, qui temperantiam ejus non ſuſpiceret, atque apertiſſime praedicaret. Intelleximus a viro quodam nobis familiariſſimo, interdum ſe, cum leviſſime objurgaretur a Ceſato, data opera vultum induiſſe graviorem, quam ſolebat; quod cum animadverteret Ceſatus, nihil non tentabat tum faceto quodam ſale, tum blandiſſimis urbanitatis verbis, ut fucatum moerorem ab objurgato removeret. Fuit alter, moroſus quidem homo, et difficili natura, qui convicia in Ceſatum evomere coram teſtibus auſus eſt: Ceſatus autem non modo, cum furentem inaudiret, mirifice temperans obmutuit; verum et poſtea quemdam ex iis, qui adfuerant, ſerio conſuluit, num ei videretur oportere, ut ipſe, qui ſponte laceſſitus fuerat, injuriamque ſolo ſilentio vindicaverat, veniam ab laceſſente poſtularet?

In his autem aetatis annum agebat ſecundum, et ſeptuageſimum, cum, pulſis Mexico Sociis, longiſſimae navigationi ſe commiſit. Ab ſenectutis incommodis, et ab inclinata valetudine credebatur Ceſatus reſiſtere diu non poſſe maris jactationibus, quibus nunquam aſſueverat. Sed praeſtantia virtutis hominem ſupra naturae vires extollere videtur! Alacris,

et ſe-

et serenus in paucis navim ille conscendit, nec ab hac serenitate, atque animi vigore, toto navigationis tempore defecit; ut ut iter nactus fuerit molestum, periculosum, atque inprimis difficile, tum ab incredibili diuturnitate, tum ab assiduis procellis, tum vero a fulmine, quod malum in duas partes horrendo fragore disrupit, vectores, et nautas exterruit, atque in praesentissimo naufragii periculo constituit. A Corsis in Italiae continentem transductus fuit Cesatus cum Sociis aliquot levi cymbula; quae procelloso vento, et fluctibus immane jactata, divertit a propinquis Januensium littoribus, et Centumcellas attigit. Josephus Castillus, qui Socios in ea cymba navigantes regebat Superior, illuc litteras Romam immisit ad summum Societatis Magistratum; cui cum nuntiaret, tempestate agitatos in eum portum devenisse, ac praeterea describeret Cesati devexam aetatem, et fractam valetudinem; enixe flagitabat, ut liceret Sociis omnibus in eum locum appulsis, itinere terrestri contendere ad eam Italiae partem, quae Mexicanis destinabatur. Cum autem placuisset Majoribus, uni Cesato, et Socio valetudinis ejus administro, id permittere; Cesatus illico Romam immigravit. Dies aliquot ibi commoratus est, benevolentiae significationibus ab supremo Sociorum Antistite cumulatus; qui sane Antistes venerandi senis demissionem, mansuetudinem, et castigatissimos mores laudavit, praedicavit, suspexit. Inde vero Bononiam cum deferretur Cesatus, vitam ad-

mo-

modum inculpatam, et caelesti genio prorsus dignam instituit: nam domo fere nunquam, raro autem e cubiculo pedem efferens; diu, noctuque totus erat in Divinis meditationibus. Venientes ad se Socios, hilari semper vultu, suavissimisque verbis excipiebat; sed illum certe non convenires, nisi paratus esses ad sermonem de caelestibus, aut alia re pietatis agitandum. Ita partim Bcnoniae, partim ad Castrùm Divi Petri, totum decennium, et paucos menses in summa innocentia, perpetuisque cum Deo colloquiis transegit. Postremis vero mensibus lecto semper affixus, mirabile fuit exemplar christianae fortitudinis: nam praeter tranquillam pietatem, qua imminentem sibi mortem aspiciebat, ac de ipsa, tanquam de peregrinatione in mortalibus, loquebatur; etiam a positura corporis, nunquam fere non eodem latere jacentis, immensos cruciatus, et perpetuam eo latere plagam, omnino silens, heroe digna tolerantia sustinuit. Quinto demum Kalendas Martias, anno 1780, aetatis ejus currente quinto supra octogesimum, sacris lustratus omnibus, quasi dulcissimo somno correptus, animam emisit in Divi Petri Castro. Parentatum illi fuit in templo coenobitarum Divi Francisci, turmatim eo die confluentibus oppidanis, ut virum venerarentur, quem, dum vixerat, semper in cubiculo latentem, nisi ab inolescente sanctitatis opinione, fere non noverant.

Temperantissima demissio Cesato fuit semper in amoribus; et haec virtus linea debet

esse

esse potissima in ejus imagine, quoties virum hunc animo velis tibi fingere· Vilem quidem, imo pessimam de se in rebus omnibus opinionem disseminari, et nihili ab universis hominibus haberi, non solum gaudebat ille, verum et totis conatibus procurabat. Postremis praesertim vitae annis, accedentem ad se quemlibet rogabat infimis precibus, ut se miserum, inutilem, et nefarium peccatorem Deo commendaret: ac sane se talem esse, tanta efficacia persuadere conabatur, ut, hominem ex animo loqui, nemo fuerit unus, qui dubitaverit. Religionem in Numen Eucharisticum a puero coluit, et toto vitae cursu perpetuavit; et cum adoraturus hoc Numen, in templo genuflectebat, totus in rem pietatis videbatur intentus, ad omnigenam modestiam compositus, et prae summa reverentia non alio, nisi ad aram, oculos audebat attollere. Mariam Virginem, et Matrem ejus Divam Annam praecipuo post Numen amore prosequebatur, ad easque assiduus velut ad certum in humanis casibus asylum confugiebat. Blandus cum omnibus in familiari consuetudine, nec unquam temere propendens, ut male de aliis judicaret; solum suimet censor erat acerrimus, et severissimus Aristarchus. In Societatis legibus observandis mirae fuit, et constantissimae perfectionis; et tanti momenti judicabat, ab Sociis omnibus has coli, et custodiri, ut, cum animadvertendum esset in eos, qui peccare adversus ipsas obstinarant, paululum durioris esset consilii. Majores

res

res observabat, quanta mortalem mortalis potest reverentia; nec ut iis confestim obediret, imperati rationem exquirebat; nec unquam ab ipsorum nutu non pependit. Cum primum intuitus est Supremum Societatis Praepositum, e vestigio se se ad ejus pedes venerabundus projecit, tanquam vidisset Lojolam familiae conditorem; ac fere contremiscere visus est, velut Tobias ad caelestem Angelum sibi manifestatum; nec nisi aegre, atque iteratis conatibus obtinuit Magistratus ille, ut senex peregrinus exurgeret, assidensque colloqueretur. Ita motus animi compescuit, ac fraenavit, ut pari semper esset vultu, vel adversa, vel secunda contingerent; nec aut morosus, aut iracundus unquam visus est. Carnem perpetua valetudine maceratam, castigavit etiam nihil palato indulgens, et cibi parcitatem ad inediae fines provexit: ejus enim quotidianum alimentum uncias duodecim fere non aequabat. Poma inprimis eum delectabant; sed ab iis abstinuisse longo tempore, familiaris quidam animadvertit; eoque vita functo, compertum est in ejus scripto, id obsequium Superis obtulisse. Satis haec sint, ne pereat omnino tanti viri memoria; caeteroquin plures ejus virtutes hausit ipsius rara modestia; cujus industria nihil fere non commune cum caeteris, in externis Cesati factis eluxit.

EMMA-

EMMANUEL ARCE.

NEminem certe vidimus, qui misericordi charitate in homines excelluerit, nec uberrimos ab ea fructus aliquando collegerit: haec enim est ea virtus Deo charissima, quam incomitatam, et solam progredi, virtutes aliae non patiuntur. Cujus rei luculentum testimonium habemus Emmanuelem Arcem, quem eximia charitas in sui similes ad plurium virtutum eminentiam extulit, et ad pretiosam, uti speramus, in conspectu Domini mortem, et ad miram in ea terrorum hora serenitatem deduxit. Thermopoli, oppido Novae Galleciae, quas vulgo appellari Aquas Calidas, alibi demonstravimus, generosis Parentibus natus est Nonis Aprilis, anno 1725; aetatis autem undevicesimo fere completo, Societatem ardenter optavit, et Nonis Martiis, anno saeculi vertentis quarto et quadragesimo, voti compos factus est. Tirocinii biennium, et studiorum curricula confecit, utrobique laudatus ab ingenio, et pietate; tametsi a quodam subrustico loquendi, et in omnibus agendi genere, virtutum suarum venustatem non admodum explicaret. Ad sacros ordines vocatus, continuo miros exeruit conatus ad animos juvandos in sacro poenitentiae subsellio; qui sane fuerunt sudores ipsi gratissimi, et nunquam intermissi,

quo

quo toto tempore duravit in Novohispanis. Quam assiduitatem in hominum salutem ut foverent Majores, destinarunt Arcem ad sacras expeditiones per diversa loca tum in Mexicanis, tum in Angelopolitanis: et hoc in munere plurimum fuisse audivimus, ac summa navitate, atque industria contendisse, vel e suggestu diceret, vel promptas, et faciles pro confessionibus praeberet aures; contendisse, inquam, ut alter alterum diligerent, ac flamma Divini amoris propagaretur. Nec minori solertia se se gessit Angelopoli, cum renuntiatus est alumnorum Praefectus in Divi Ignatii Seminario; quorum institutionis partem esse non modicam judicavit, quod sibi adolescentium animos charitatis officiis conciliaret. Marianae Sodalitatis fuit Praefectus primum Zacatechis, inde Guadalaxarae, postremo ad Pacenses; et semper accuratissimus muneri satisfecit, ut semper etiam sibi constitit in domesticae disciplinae studio, copiosisque laboribus, ut omnium bonum, nullo aetatis, aut sexus, aut conditionis discrimine, procuraret. In Pacensibus demum, ubi Societatis Collegium erat totius oppidi Paroecia, proindeque qui Sociis praeficiebatur, idem et oppidanis erat Sacrorum Minister; hoc, inquam, Collegium Arce jussus est administrare anno 1766.

Sed vix annum in eo Magistratu confecerat, cum octavo Kalendas Quintiles illuc venit Regius Minister, qui postridie denuntiavit Arci, causam sui adventus eam esse, ut Socii

pelle-

pellerentur; id tamen eo die mane, ut imperatus fuerat, exequi se noluisse, quoniam, octavo die redeunte post Corporis Christi festum, pompa solemnis in templo parabatur, et oppidani circum Collegium erant frequentissimi. Continuo respondit Arce, se quidem, ac Socios omnes nulla tergiversatione promptos esse, ac paratos in Regis obsequium, idque omnino facturos, quod ipse Minister imperaret. Hic abiit, adhuc re infecta; et statim Arce ad Sacerdotis pedes provolutus, totius anteactae vitae maculas extersit sacra poenitentia; quod optimum factu, et inprimis necessarium judicavit, tum in solatium calamitatis, tum in viaticum pro immensa navigatione. Inde Sociis congregatis indixit, ut omnes Jesum Eucharisticum convenirent, et preces abundantius profunderent, ut auxilium in re calamitosa praestaret. Imperavit praeterea, ut, abituri, nihil plane secum deferrent; ut omnibus ultro exspoliati nudum Jesum sequerentur. Interea vero Pacenses rem odorati sunt, et imprudenti consilio decreverunt, excubias agere ad Collegii fores, ne Sociorum ullus aut vi coactus, aut sponte discederet. Ergo Regius Minister Arci praecepit, nihil admodum innovari, donec Mexico veniret militum auxilium, quod clanculum postulavit. Arce vero, et cum eo Socii cuncti nullis cohortationibus, et precibus pepercerunt, ut sedarentur inquieti motus; ac die tandem undecimo, erroris poenitentia ducti Pacenses libere permiserunt, abire Socios ex Re-

giae potestatis imperio. Ergo ab oppido profecti sunt nullo militaris turbae comitatu; et laboriosissimo multorum dierum itinere Veramcrucem pervenerunt. Arce quidem in summa rerum omnium inopia tum terrestrem illam, tum postea maritimam peregrinationem in paucis egit incommodam; eo tamen laetus ibat, quoniam in tanto Sociorum numero, quorum plures erant devexa, plures aegra valetudine, copiosissima messis pro charitatis officiis occurrebat. Ad Italos tandem cum pervenisset, commorationis locum primo habuit Castrum Divi Petri; a quo translatus Medicinam, Sociorum Rector constituitur. Eversa vero Societate, cum ab suorum civium ingenti numero latiora charitati spatia Bononiae paterent; confestim in hanc urbem, in qua tot reliquit egregiae misericordiae monumenta, immigravit.

Et primo quidem Mexicanorum domus rem ad annos fere duodecim procuravit; in qua domo congregati fuerant alii senes, alii tam prostrata valetudine, ut omnino instar nosocomii locus ille videretur. Hos igitur, quibus utebatur contubernalibus, incredibile profecto est, quam multus recrearet, ac sublevaret: quod si non aliud ab Arcis industria, et charitate senes illi, et valetudinarii nacti fuissent, delicate quidem, quoad licebat pro rerum angustiis, nutriebantur; atque ipsius diligentia freti, solutique rei domesticae curis omnibus, vitam, alias miseram, et multis doloribus vexatam, in tranquillitate agebant. Quem curarum, sane difficilium,

lium, tenorem patientiſſime tenuit, nec niſi cum vita depoſuit. Sed haec in umbra domeſtica, ubi multum ab laboris difficultate detrahunt proprii parietes: laudabilior quidem, et mirabilior fuit ab officiis, quae praeſtitit indefeſſus Mexicanis per Bononiam diſperſis, cujuslibet eſſent gradus, quoties aliquem aegrotare contingeret. Aeque Solem, et pluviam, et ventum, et locorum longinquitatem interritus Arce contemnebat; nec ullam vel diei, vel noctis horam non idoneam exiſtimabat, ut domo pedem efferret in aegrotantium obſequium. Ibat per vias urbis, lacerna ut plurimum male aptata humeris, nativaque illa ſua geſtus, et inceſſus inelegantia; modeſtus tamen oculis, flamma charitatis incenſus, Divinum codicem manu deferens, pluribuſque vel in crumena, vel ad ſinum ſub tunica, onuſtus in aegrorum ſive medicinam, ſive delicatum alimentum. Ita ſaepe videres publice incedentem hominem, qui jam fere ſexagenarius, et praeterea luſcioſus admodum, hic veſtigio fallebatur, illic in lapidem miſerabiliter offendebat, aut pedem in lacunam aqua ſtagnante plenam inferebat; ſed quem nullae unquam difficultates abſterruerunt, quominus, ut actuoſa Mater filium perditum, ita aegrotos ille ſuos per totam urbem conquireret. Ad hos ut accedebat, quaſi ſua unius intereſſet illorum obſequium, idonea pro ipſis cibaria comparari, concoqui, condiri, ſuo tempore apponi; remedia, quae praeceperat Medicus, nulla mora coemi; morti proximos

postremis lustrari sacris; demortuos demum honesto funere sepeliri curabat. Nulla prorsus erant officia sive in animorum, sive in corporum auxilium, nulla servilia sive domi, sive foris, quae, compellente misericordia, et charitate imperante, recusaret. Quod siquando (ut saepe contigit) in aegrum incideret, cui pecuniae non suppeterent; bono jubebat esse animo, generosusque in se recipiebat, ut nihil ei pro sumptibus curationis deficeret. Cum autem nihil certi haberet, unde hos sumptus erogaret; praestiturus fidem, quam obligaverat, saepe cernebatur multorum fores pulsare, et quasi ostiatim emendicare. Ad quod sane officium non accedebat, nisi summopere reluctante natura; cum praesertim ignorare non posset, talem se conformatum esse, ut nec externa elegantia, nec indole amabili, nec blandis verbis, alienam voluntatem sibi conciliaret, ac devinciret. Nihilo tamen secius, homo talis naturae, pauper ipse, tot infirmos inopia exinanitos aluit, ac sustentavit; ut in ejus manibus pene divinitus multiplicari pecunias, nonnulli suspicarentur. Contigit etiam aliquando, ut aegrum inveniret, quem prope jam agentem animam a domesticorum sive indiligentia, sive summa inopia, in domum suam transtulit; et miser ille confestim Arcis accurata sedulitate respirare, ac reviviscere visus est. Hanc certe posses dicere sacram famem benefaciendi hominibus; cujus omnino major in magnanimo Arci fuit efficacia, quam in aliis auri cupido. Sed

Sed qui pauperum, et infirmorum bono tantopere invigilabat; se se prorsus negligebat, imo etiam contemnebat. Cum lacernam, et tunicam haberet, easque usu attritas, et decolores; nihil plane curabat caetera, quae interno corporis indumento sunt. Saepe incedens per vias urbis frequentissimas, galero utebatur, quo vetustiorem, ac deformiorem aegre alium nisi in mendicis inveneris. Cubiculum sibi optavit, atque in eo plures annos permansit, quod esse domi deterius existimavit: causatus nimirum, sibi satis esse, si haberet vilissimum angulum, ubi noctu quiesceret; cum magnam diei partem in negotiis extra domum teneretur. Ad aram quotidie facere nunquam omisit, nisi gravis causa prohiberet: postea vero, cum brevi rem domesticam explicasset, in templum aliquod confugiebat; ubi genibus flexus, et modesta pietate longum tempus (prout aegrorum patiebatur necessitas) ante aram Eucharistici Numinis consumebat. Cordis Jesu, et Mariae Dolentis religionibus maximopere delectabatur; et utriusque depictas tabulas dono dedit, quae in paroeciali Divae Mariae Magdalenae templo publicae venerationi collocarentur; eisque tenuem censum (ut pro viribus) attribuit, pro utroque cultu promovendo, quibus diebus quotannis redirent solemnia. Et ea Mariae Dolentis pulcherrima tabula Mexicani Cabrerae penicillus est; eamdemque elegit, optione data inter binas, qui donationis tempore paroeciam illam administrabat. Hunc vitae laboriosae te-

norem usque ad postremam virium destitutionem constantiſsimus Arce continuavit: jam enim stomacho vehementer laborabat, jam misere languebat; cum adhuc per vias urbis pallidus, macer, et moribundo quamsimillimus errabat. Conceſsit tandem morbi gravitati, et moriturus cubile ingressus est; nec tamen aliorum aegrotantium minus idcirco satagebat: nam affixus lectulo, diligenter interrogabat, num qui recens aegrotarent? num medicinarum impendio sufficerent? num curationis administros haberent? Et sibi constans usque ad extremum anhelitum in eximia charitate, quam totius vitae normam sibi fecerat; quidquid habebat, in pios usus, et praesertim in pauperum subsidium, ante mortem destinavit. Lamentabatur in diuturno suo morbo, quod nullis doloribus moreretur, quos in poenarum remiſsionem Christo Judici poſset repraesentare: toto tamen ante obitum triduo visus est audiisse Deus fervidas ejus precationes; et moribundus internos ardores, quibus combustus agitabatur, patientissime toleravit. Feretrum, quo cadaver ejus erat condendum, introferri voluit in cubiculum; ut adhuc sui plane compos mortem quasi oculis videret, atque eo lugubri spectaculo magis, magisque ad aeternitatis cogitationem excitaretur. Divina demum dape in viaticum accepta, rite sibi administrari sacras alias religiones, enixe postulavit: et quo tempore his lustrabatur, precanti Sacerdoti, atque animam proficisci jubenti moribundus intentis ad omnia

sen-

sensibus, et summa cum pietate respondebat. Quo postea fervore nihil interrupto, Divini Jesu, et Mariae Dolentis fiducia plenus, decimo quinto Kalendas Junias, anno 1785 efflavit animam, cum aetatis annum explesset sexagesimum, et fere sesquimensem. Parentatum illi fuit in aedibus Divae Mariae Magdalenae, ubi plurium jacent Mexicanorum exuviae, quos Arce domi suae infirmos adjuverat, mortuosque in ea Paroecia efferri curaverat.

Digitized by Google

BENEDICTUS VELASCUS.

AB singulari studio in Mariam Guadalupanam, saeculo decimo sexto Mexicanis ostento manifestatam, atque ab ejusdem Virginis cultu per Italos propagato; celebre sibi nomen acquisivit Benedictus Velascus. Carrione, qui pagus est Vallis Atliscensis, amoenissimae regionis in Angelopolitanis, fuit familia Velascorum, honesto quidem genere, sed fortunae bonis minime copiosa. Tres ab hac familia germani fratres nomen Societati dedere, quorum primus, nomine Josephus, ingenium a natura sortitus est, cui pauca fuisse paria credebamus in Sociis Mexicanis; et quanquam hanc mentis dotem non magnopere coluit artis industria, nihilo tamen secius excelluit inter suppares doctrina praestantiores, eique prima praemia fuerunt attributa. Clarior autem fuit ab observantia in Mariam Virginem, cujus imagines, per ambulacrorum Collegii parietes appensas accuratissimus ornabat, lampades excitari curabat, et festum quotannis in Templo magnificentius, quam pro ejus crederes inopia, celebrari studebat: cujus egregiae pietatis testes fuimus, cum ille in Angelopolitanis philosophiam traderet. In communi Sociorum calamitate, Veracruce navigans Havanam, fato concessit, atque in mari sepul-

chrum

chrum invenit. Tertius Velascus fuit Emmanuel, ingenio non vulgari, sed notior in Sociis ab spectabili demissione, ac Marianis religionibus: immaturo fato Bononiae desideratus est. Natu medius, quem modo describimus, in sacro fonte Benedicti nomen accepit, exortus Carrione, quinto Kalendas Januarias, anno 1733.

Translatus Angelopolim, pueritiam ibi, atque adolescentiam egit inculpatam admodum, plures edens a tenero significationes, tum natura praeditum esse suavissima, tum ingenii dotibus minime contemnendis. In Seminario Divi Joannis, quod ibi gentium Tridentinum appellant, latinitati, et philosophicis artibus dedit operam ea mentis intentione; ut in toto litterarum studio cucurrerit facile inter primos. Praecipuam vero laudem meruisse comperimus ab assiduitate ad sacrum poenitentiae Tribunal, atque ad Dapem Eucharisticam, ab religionibus in Virginum Reginam, a prudenti judicio, et omnino a castigatis moribus, quibus ea jam aetate praelucebat. Exacto philosophiae curriculo, deliberaturus de vitae conditione, quam amplecteretur, Mariae patrocinium imploravit; nec mora, suae salutis consultum iri judicavit, si posset in Societate stipendia mereri. Plures quidem postremis hisce temporibus in castra Sociorum venerant ab ejus Tridentini Magistris; quibus quidem Magistris tametsi non erat doctrinae communio cum Sociis, erant tamen vincula mutuae charitatis, et familiaris consue-

tudinis. Cooptatus Velascus ad Societatis tirones, Tepotzotlani biennium exegit apprime charus Petro Reali, qui novitios instituebat. Ab hoc tirocinii tempore palam fuit omnibus, non esse Velascum ex iis hominibus, qui probe quidem, et inculpate vivunt; tetricam tamen, atque inelegantem viam tenent, ut religiosam perfectionem, quam peculiari quadam asperitate sibi fingunt, assequantur: totis enim viribus pietatem colebat, et ad macerandam carnem, atque internos motus frangendos adnitebatur; et se se moribus Ignatianis prorsus ex animo consecravit. In familiari vero consuetudine festivus, hilaris, urbanus, quasi natura lepidus erat, quin aut modestiam, aut charitatem, aut religiosi viri dignitatem offenderet; jucundissimo, et semper apto sale sermones fere condiebat; omninoque in externis moribus nihil habebat non commune cum caeteris. Ita quidem religiosae vitae militiam inchoavit; nec ab iis et internis, et externis moribus toto suae mortalitatis tempore deflexit.

Quibus annis Magistros audivit tum pro politioribus litteris, tum pro majoribus Scientiis, indefessus, et summe accuratus operam studio dabat constitutis horis ex domestica disciplina. Tempore vero recreationibus honestis praefinito, sermonis erat amoenissimi, colloquiaque cum supparibus Velascus in paucis hilarabat. Theologiae cursum abrupit, designatus grammaticae Magister ad Patzquarenses; qua quidem in urbe magnam civium benevolentiam

sibi

sibi promeruit, ut ab urbana, festivaque indole, sic ab assiduitate, ac religiosis conatibus in munere adamussim implendo. Mexicum redux, annos Theologiae reliquos cum laude confecit; evectusque ad sacros ordines, praemio donatus est inter primos, theses ad diem integrum Angelopoli jussus defendere. Qui sane dies ita Velaschi gloriam cumulavit, ut audiisse meminerimus, ante plures annos visum ibi non fuisse propugnantem ullum, qui majorem doctrinam, aut certe qui ad ea profundenda, quae didicerat, expeditiorem facultatem in litteraria palaestra demonstrasset. Revocatus Mexicum, Operarius dicitur in domo Professorum; cui labori vacavit biennium accuratione pari, quam in litteris exhibuerat. Nunquam non hilari vultu se praestabat, sive ad dicendum e suggestu, sive ad dandas aures in sacra poenitentia, sive ad recreandos infirmos, vel domi, vel foris, appellaretur. Enituit jam tum ejus peritia singularis in animorum regimine: atque inter alios, fere quinquennium conscientiam gubernavit cujusdam Virginis, ut emendatissima vita, sic etiam coelestibus beneficiis, et vaticinationibus celeberrimae; cujus ab ore Velascus identidem hausit futura, quae tametsi naturae viribus praevideri non poterant, suo tamen tempore vidit eventu confirmata. Translatus ad philosophiae Magisterium in eadem urbe, non mediocriter desudavit in erudiendis auditoribus; quos ad virtutem, et litteras ita fingere adnixus est, ut liberalem vultum, et suavissimam erga ipsos

bene-

benevolentiam nunquam deponeret. Quo munere confecto, rursus ad operam in domo Professorum vocatus est; ubi paucis diebus ultra bimensem positis, in communi Sociorum calamitate ad Italos immigravit.

Temperantissime tulit itinerum terrestrium, et navigationum incommoda; nunquam auditus est conqueri; nunquam non fuit placido ad omnes vultu, et festiva consuetudine. Designatus ad Castrum, cui nomen Medicina, in Bononiensibus, inculpatos admodum mores praesetulit; quanquam in externa vitae ratione nihil omnino nisi communem Sociorum disciplinam persequeretur. Eversa Societate, Bononiam se contulit; ubi summa in tenuitate vitam agebat religiosissimam, atque eo feliciorem, quo longius erat ab inordinatis cupiditatibus, omnique rerum humanarum commercio. Postremis autem ejus vitae annis, decrevit Deus, palam fieri virtutes, quas hominis industria, et temperantia celaverat: nam cum ultra Velascus non posset flammam cohibere, quae tacite urgebat ejus animum, ut Mariae Guadalupanae cultum in Italis propagaret; haec vota dum persequitur, ferventissimam religionem, interritam fiduciam, intimam cum Deo conjunctionem, efficaces ad eumdem precationes, caducarum rerum contemptum, perfractos animi motus, castigatum inedia severissima corpus demonstravit. Ad aram quotidie faciebat in Templo, quod religionibus Divi Joannis capite obtruncati sacrum est: quod sane templum cum

ab

ab inopinatis ante annos aliquot ruinis fuisset tum recens instauratum, atque ara in ipso superesset, quae nullius adhuc Divi nomine appellabatur; id Velascus opportune sibi contingere judicavit, ut aram illam Guadalupanae Virgini consecraret.

Postulavit, obtinuit, concinnavit aram; quantum ex sua tenuitate potuit; et publicae venerationi Guadalupanam imaginem, non quidem magnae molis, quam Bononiae depingi sibi curaverat, exprompsit. Hinc Marianas religiones totis conatibus propagare constanter habuit in amoribus; et videbatur aliud nescire aut loqui, aut cogitare, nisi Guadalupanam suam Virginem. Quotidie, cum Sol ad occasum vergeret, piis aliquot tum viris, tum foeminis ultro confluentibus, ante praedictam aram genuflexus, alterne dicebat precationes, quas vulgari nomine Rosarium appellamus. Quam religionem a Velasco inchoatam, et toto fere decennio perpetuatam, non permisit Mexicanorum pietas cum illo interire: sunt enim ad hodiernum diem egregia probitate viri, quibus cordi est, demortui vestigia sequi; et qui alterna opera precationibus his pomeridianis incumbunt. Velascus autem postquam collocarat imaginem, majorem aliam desideravit: nam ea, quoniam parvae molis erat, non omnino implere loci majestatem, videbatur. Opportune per id temporis Bononiam pervenit Guadalupana effigies justae magnitudinis, quam Mexicano cuidam Mater dono miserat, a Michaele Ca-

brera

brera summis conatibus elaboratam, viro primi nominis in Mexicanis pictoribus. Velascus, ut ipse postea narrabat, repente sensit intrinsecus excitari, ut hanc imaginem peteret, in ara sua publicis honoribus expromendam: et quanquam nihil dubitabat, pretiosum hunc thesaurum domino suo multis nominibus esse charissimum; alacriter tamen audendum credidit, et vincendam naturam, quae postulandi pudorem refugiebat. Nec eventu petitio caruit; atque ultra modum laetus cultor hic Marianus liberaliter concessam tabulam in ara publica collocavit. Exinde vero ferventius, quam antea fecerat, excogitare coepit rationem, ut aram, et tabulam magnificentius exornaret, Guadalupanamque religionem nullo non conatu propagaret.

Sed egregii fuit facinoris, quidquid Velascus fecit in hujus cultus propagatione: vir enim maximopere temperans, atque ad petendum verecundus, in summa rerum suarum inopia potuit censum constituere, tenuem quidem illum, sed qui satis esset, ut solemne quotannis triduum celebraretur, et die, qui triduum consequitur, concinnato ad religiosam laetitiam templo, sonantibus musicorum concentibus, ardente cereorum funalium multitudine, toto mane Sacerdotibus ad aras facientibus, Guadalupanae Virginis honoribus litaretur. Hunc sane censum non suis omnino sumptibus Velascus constituit: nam Mexicanorum aliquot religio in Guadalupanam, quam a teneris amare discunt;

pecu-

pecuniam contulit, modicam quisque partem, ut licuit agentibus in solo alieno, et magna rei familiaris tenuitate. Plurima vero sunt in arae, atque imaginis ornamentis, nec ea quidem modici pretii, quae debentur uni Velasco; qualia sunt crystallinum specular, quod pulchriorem ostendit, atque a ventis, et pulvere tutam custodit Imaginem; ferrei clathri circum arae sacrarium, qui certe steterunt homini centum unciis argenti signati; sex aenea candelabra, non illa quidem pretii mediocris; bini ingentioris molis ex eodem metallo lychnuchi, quos deferunt in solemnitatibus, qui ad aram inserviunt. Atque ea duntaxat memoramus, quae cunctorum oculos percellunt: nam quae sunt de sacris ornamentis, et vasis, de magno pluteo pro Guadalupana supellectili recondenda, de Imaginis margine venuste fabrefacto, deque aliis id generis, quae fuerunt a Velaschi liberalitate, nihil hic agimus, ne minutissima quaevis narrare videamur. Unde vero pro tot sumptibus pecunias hauriret Velascus, cui rarissime contigit aliud habere, nisi vel consuetam pro alimentis ab Rege pensionem, vel tenuissimum illud, quod ad aram facienti quotidie praestabatur; omnino esset in arcanis mirabilibus, nisi liquido constaret, ultro se se Velascum excruciasse diuturna, et asperrima fame; ut quidquid inedia sibi subtraheret, in Guadalupanae Virginis ornamentum redundaret. Asses omnino quinque pro quotidiano suo victu sibi constituerat; a quo sumptu vel minimum excede-

re,

re, nefas ducebat. Quare semper vilissimis, et agresti homine, vel etiam ostiatim mendicante, quam in urbe nato, atque educato, dignioribus alimentis utebatur. Eadem etiam de causa, vilia semper, et abjecta ejus erant indumenta, pauperrima totius rei domesticae supellex; et voluptates alias, quae sunt humanae conditionis, ut ut innoxias, atque interdum ipsius valetudini necessarias, ita negligebat, ut pene videretur mortalem naturam deposuisse. Quod siquando admoneretur, tam severae inediae non diu restituram ejus valetudinem; hoc audiebatur ab ipso responsum: *Si cito interire mibi contigerit, cito etiam ad optatum gaudium Mariam Virginem conspiciendi festinabo*.

Liceat hic obiter gratias referre Mexicanis, quod extra patriam positi, atque in re inope, tam accurata fuerint industria, ut Guadalupanae Virginis religionem in Italis propagarint. Binas aras huic Novohispanorum Patronae, Bononiae funditus excitarunt: in tribus ejusdem urbis templis, Ferrariae totidem, ad collocatam venerationi publicae Guadalupanam Imaginem solemnia quotannis agitari procurarunt, atque obtinuerunt. Idem honos ipsorum cura Virgini suae tribuitur tum Romae, tum in Divi Petri Castro, tum in Foro Cornelii. In hoc autem foro potissimum inolevit Guadalupana religio: et quam Mexicanus quidam, vir tenuissimis facultatibus, explicare inchoavit; Chilenses homines ibi commorantes (quorum et nos pietati gratulamur) incredibili

cona-

conatu amplificarunt; magnificam aram, aureorum sumptibus ultra tercentos, erexerunt; binas argenti lampades, et alia ejusdem metalli ornamenta in arae supellectilem obtulerunt; pro solemnibus annuis, aliisque religionibus ad singula sabbata sanciendis, argenti signati bis mille nummos, eoque amplius, generosissima largitate numerarunt. Et pro ara quidem, quam erexit Bononiae Velaschi accuratio, complures poenarum pro culpis remissiones Pius VI. Pontifex Maximus impertivit; ut etiam condonavit, quo die celebrantur ibi Guadalupana solemnia, Missam eamdem, pro Mexicanis concessam, recitari. Nec sine tenero sensu, et suavissimo gaudio, memoratum Divi Joannis templum eo die licet nobis intueri; cum frequentissimi, ac reverentissimi conveniunt ad Mexicanae Imaginis obsequia Bononienses.

Haec obsequia Velascus, quantum humanis viribus fieri potest, plures annos desudans, amplificavit: postremo autem biennio tam iniqua usus est valetudine, ut mirum videretur omnibus, quo pacto posset assumptam sibi provinciam administrare. Fuit quidam charitate, ac religione in Deiparam praecipuus, qui totum onus per menses aliquot in se transtulit; postea vero, credentem aegrum meliuscule se habere, viribus tamen sensim deficientem, alterno saltem adjuvit labore. Ab summo inediae voluntariae rigore, primum stomacho vehementer laboravit, et constrictis in ea corporis parte vasis, per quae fluunt liquida, male

po-

poterat alimenta concoquere; atque inde vitium sanguinis, extrema macies, lethalis pallor, et summa virium destitutio. Sacris tandem lustratus omnibus, et Guadalupanae Virginis ope confisus, postremum diem placidissime laetus obiit XVI. Kalendas Junias, anno 1786. Justa fuere persoluta Benedicto Velasco ad Sancti Benedicti Paroeciales aedes in urbe Bononia; sed inde cadaver ejus fuit translatum in Divi Joannis Templum, et ante aram Guadalupanam elatum: qui procuratus illi fuit honos ab sudoribus eximiis, ut ejusdem Patronae Mexicanorum cultum amplificaret.

AUCTORIS DENUNTIATIO.

Quidquid mirum, et ostenti speciem habens, in his Mexicanorum Vitis auctor attulit, omnino intelligit, eam duntaxat istiusmodi narrationibus praestari fidem posse, quae Sedis Apostolicae judicium non antevertat: nihil enim auctori charius est, quam decreta Romanorum Pontificum venerari.

IN-

INDEX

Vitarum, quae in hac tertia parte continentur.

XAVERII RIVERII.	Pag. 5
XAVERII CLAVIGERI.	28
VICTORIAÑI ARNESII.	79
JOSEPHI VALLARTAE.	125
AUGUSTINI CASTRI.	154

IN APPENDICE.

PETRI REALIS.	211
JOSEPHI ZEPEDAE.	225
MICHAELIS CASTILLI.	240
AUGUSTINI PALOMINI.	269
MICHAELIS SABELIS.	278
JOSEPHI OLAVARRIETAE.	286
PETRI CESATI.	294
EMMANUELIS ARCIS.	303
BENEDICTI VELASCHI.	312

Pag.	*lin.*		*lege*
114	27	insigniis	insignibus
286	13	notos	natos

Vidit D. Joſeph de Bonis Clericus Reg. Sancti Paulli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnitentiarius pro Eminentiſs., ac Reverendiſs. Dom. D. Andrea Card. Joannetto Ordinis S. Benedicti Congreg. Camald. Archiep. Bononia, & S. R. I. Principe.

Die 2. Maji 1792.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius M. Ceruti Vicarius Gener. S. Officii Bonon.

A01 1469429